

BIBLIOTECA

DE LA

UNIVERSIDAD DE SALAMANCA.

Sala Est. Tab. Núm.

24394

f^o

21394

~~9-8-W.~~

b20160124

CANTICA

CENTVM QVINQVAGINTA,
CVM HYMNIS TRIGINTA,
Totidemq; Orationibus

IN SANCTISSIMUM EUCHARI-
stiæ Sacramentum.


A FRANCISCO GEMMA
Presbytero seculari Capuano Mar-
tenisensi, Sacræ Theolo-
giæ Doctore.

*Ad instar Psalmorum Davidicorum ab omnibus Christi
fidelibus ante, vel post Synaxim seu Communionem
deuotè rēcitanda, nouissimè edita.*

Cum breui quadam Salutatione satis deuota ad
Beatissimam Mariam semper Virginem.



NEAPOLI, Apud Lazarum Scorigium. 1614.
Superiorum permisso.



3
Illustrissimo, ac Reuerendiss. Domino,

DOMINO DECIO CARRAFA

S. R. E. T. SANCTORVM IOANNIS,
& Pauli Cardinali, & Neapolitanæ
Archiepiscopo dignissimo.
S. P. D.



E equidem Il-
lustrissime, ac
Reuerendissi-
me Princeps,
magnū Sacer-
dotem quasi à
cunabulis fore ostendit Altissi-
mus ; te namque Illustrissimus,
atque felicis, & æternæ recorda-

A 2 tionis

tionis dignissimus Dominus Ma-
rius Carrafa Patruus tuus , qui
Ecclesiæ Neapolitanæ fatis, lon-
gèq; sanctè regiminis tenens ha-
benas, sacrosanctum Oecumeni-
cum, & generale Cōcilium Tri-
dentinum summa cum diligen-
tia, maximoq; studio, & incredi-
bili animi affectu in sua Diœcesi ,
ac in tota prouincia executioni
mandauit , Synodum Neapolita-
nam primam, cuncta ad Cleri re-
formationem, ouiumq; sibi com-
mendatarū saluti necessaria con-
tinentem primus constituit , fer-
uandāq; præcepit . Seminarium
quoque pro Clericis pauperri-
mis , diuitibus non exclusis , tum
in

in doctrina , tum etiam in vitæ
moribus instituendis, quibuscum
humanas literas , & alias artes
exactissimè didicisti , maxima cū
sedulitate , & industria constru-
xit, Ecclesiam Archiepiscopalem
tanquam dilectissimam sponsam
suam exornauit . Moniales tunc
extra ciuitatis mœnia degentes ,
iuxta præfati Concilij Decretum,
intus urbem , non absque maxi-
mo labore, maximisq; calumnijs,
& iniurijs affectus , æquo tamen
animo semper ferens omnia, iam
traxit ; alias vero ad meliorem ,
quem potuit, & vt tatum Archi-
præsulem decuit, viuēdi modum
deduxit. Quapropter non minus

fortasse, quām Illustrissimus Ca-
rolus Borromæus Sāctorum iam
numero paucis retrō annis ad-
scriptus, pro Dei seruitio, anima-
rumq; sibi commissarum perpe-
tuō beneficio elaborauit. Doctri-
nam Christianam Christifidelis-
bus quām necessariā singulis Do-
minicis , diebusve festis pueros ,
puellasque, ac senes, tanquam ve-
rus, atque vigilans Pastor, & Pa-
ter docendam mandauit , sibi ex
tunc assiduē, tanquam Angelūm
assistentem, Diuino cultui confe-
crauit . Non igitur mirum, cùm
ad Cardinalatus , exinde ad Ar-
chiepiscopatus apicem ascēderis ,
eidemq; sponsæ , cuius ille fuit ,
spon-

sponsus datus fueris. Nihil tandem noui, præter ea, quæ Patruus tuus Illustrissimus instituit, inuenisti; super illa etenim omnes eius successores superaedificauerunt; quin immo quoddam, ac certum inextinguibilis luminis exemplū ab omnibus quidem proculdubio sectandum perpetuum reliquit: & vt paucis dicam; Marius plantauit, Illustrissimi, ac dignissimi eius successores rigauerunt, ipse vero Illustrissime, Deo fauen te, omnibus, vt debes, incrementum dabis. Æquo igitur animo meum hoc Canticorum in sanctissimum Eucharistiae Sacramentum opusculū Dominationi tuæ

A 4 Illu-

Illustriſſimæ dicatum excipito.
Ego vero Deum, vt te ſemper in-
columem feruet, aſſiduas, tametſi
indignas, preces effundens omni
ex animi affectu exorabo. Cura,
vt valeas, Illuſtriſſime Princeps.
Neapoli ſept. Non. Octob. 1613.

Tuæ Illuſtriſſ. Dominationis

ſeruus, & orator perpetuus

Franciſcus Gemma.

C A N T I C V M I.

9

BEATI omnes Christifideles; qui sub speciebus panis, & vini cōsecati, Christum integrū manere credunt, & fatentur.

Beati sacerdotes, qui dignè corpus Christi conficiunt; & dignè eius carnem manducant, & sanguinem bibunt.

Beati omnes orthodoxi, & fideles; qui ad mensam Christi cum Apostolis dignè accedunt.

Beati omnes populi, & nationes orbis terre; qui tantum Sacramentum ex toto corde venerantur.

Beati pauperes, & diuites, serui, & liberi carnem Christi manducantes; quoniam vitā æternam possidebunt, ex mortuis resurgententes.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto. Sicut erat in principio, & nunc, & semper, & in sæculorum. Amen.

C A N T I C V M II.

IN hac mensa Christus manet gloriosus, & immortalis; omnes Cherubim, & Seraphim, & omnes exercitus Angelorum Christum adorant in ea.

Ad

Ad hanc mensam peccatores non accedant;
panis enim sanctus manducatur in ea.

In hac mensa sancti, & innocentes dignè epulantur; nam isti tantum gustant, & sentiunt dulcedinem eius.

Hæc mensa peccatores non recipit, sed expellit eos; nisi prius pœnitentiam agentes, mundi fiant, & humiles.

Hæc mensa diuina est, atque cœlestis vndeque; ideo soli electi ad ipsam vocatur à Christo.
Gloria Patri, &c.

C A N T I C U M III. 3.

Quam magna dignitas Christifideliū; quibus à Christo datum est corpus suum
ad manducandum.

Nullus Prophetarum, neque Patriarcharum carnem Christi manducare dignus fuit; solum redemptis sanguine eius licetum est illam manducare.

Mannam utique manduauerunt illi in deserto; nos autem carnem Christi manducamus in Ecclesia eius.

Mortui enim sunt, qui manduauerunt mannam; qui vero carnem Christi manducant, cum ipso viuunt in æternum.

Omnia etenim in figura contingebant illis; nobis autem omnia in certitudine, & veritate.
Gloria, &c.

C A N .

C A N T I C V M . IV. 4.

TE Christum summum, & quām magnum
Sacerdotem in hac Hostia adoramus ; te
verum Deum, & hominē credētes confitemur.

Te Hostiam puram , & immaculatam Deo
Patri pro nobis oblatam prædicamus ; te illum
cum peccatoribus reconciliasse fatemur .

In misericordiam enim conuertisti iustitiam
tuam in ara Crucis clavis confossus ; clemētem
vtique in nos fecisti Patrem tuum in ea .

Ianuas cœli clausas propter peccatum , ape-
ruisti nobis ; & viam illas ingrediendi ostendisti
manducantibus carnem tuam .

Tu Christe Sacerdos æternus Diabolum , &
Angelos eius deuicisti pendens in Cruce ; & in
ea fortes fecisti manducantes carnem tuam ad-
uersus eos. Gloria Patri , &c.

C A N T I C V M . V. 5.

IN memoriam passionis tuæ, Domine, pan
in carnem , & vinum in sanguinem tuum
conuertunt sacerdotes ; tui ministri tuo Cara-
ethere insigniti .

O quām magna potestas , & dignitas sacer-
dotum ; qui paucis verbis faciunt Christum to-
tum manere sub speciebus panis , & vini .

Hæc

Hæc etenim potestas, & dignitas non Angelis data est à Christo; sed hominibus tantum orthodoxis, & fidelibus ritè initiatis.

Æqualis data est cunctis presbyteris hæc conficiendi facultas; omnes etenim vices Christi gerunt in Ecclesia Dei.

Omnis ubique sacerdotes eodem tempore celebrantes; idem corpus Christi, & eundem sanguinem eius verè conficiunt. Gloria, &c.

H Y M N V S.

Hanc puram, hanc sanctam
Veneremur Hostiam,
Hæc Christum totum, ac verum
Dei Natum continet,
Eius partes quamuis paruae
Illum quoque continent.
In hac caro, atque sanguis,
Sancta eius anima,
Personaque à Patre solo
Ab æterno genita,
Pater manent, & Procedens,
Communisque Deitas.
Hinc æternam persoluamus
Trinitati gloriam,
Omne decus, omnes laudes
Genusflexi, humiles
Peccatorum postulantes
Veram indulgentiam. Amen.

¶. Pa-

SANCTISS. SACRAMENTI. 13

V. Panem de cœlo præstisti nobis. Alleluia.
R. Omne delectamentū in se habentē. Alleluia.
Oremus.

Deus, qui nobis carnem tuam ad manducā-
dum, & sanguinem tuum ad bibendum
reliquisti, fac, quæsumus, ita nos ad mensam
tuam dignè accedere, ut eius dulcedinem in
visceribus nostris sentire, & gustare mereamur
æternam. Qui viuis, & regnas Deus per omnia
sæcula sæculorum. Amen.

C A N T I C V M I. 6.

Tram quām magnam in nos misericordiā
in hoc pane ostendis Domine; charitatem
quoque quām immensam, & ineffabilem mani-
festas electis tuis in eo.

Hic etenim culpas quām maximas, & grauiſ-
simas remittit peccatoribus; omnes illum di-
gnè manducantes iustificat, & saluos facite eos.

Propterea tu Domine omnes ad hunc pa-
nem manducādum inuitas; quoniam qui illum
manducant, te vitam æternam inueniunt in eo.

Doce nos igitur Domine dignè illum man-
ducare; vt fructus eius sentiamus in nobis.

Tanta nos, Domine, deuotione ad illum
accedere facias; quanta fideles tuos illum de-
cet manducare. Gloria Patri, & Filio, & Spi-
ritui sancto. &c.

C A N.

C A N T I C V M . II. 7.

FAc nos Domine illud credere, & tenere de tanto Sacramento; quod noueris expedire saluti animarum nostrarum.

Spiritus sanctus nobis fidelibus tuis semper assistat; ut quod Altissimæ Maiestati tuae placet, de illo cogitemus, & loquamur.

Purifica Domine corda nostra, & sensus nostros; ut carnem tuam dignè manducare mereamur.

Sacerdotes tuos tanquam Angelos ad altare tuum ascendere fac Domine; ut sanctè confiant corpus, & sanguinem tuum.

Plebs autē tua fidelis deuotè suscipiat illud; & formidabilis fiat Diabolo, & Angelis eius. Gloria Patri, &c.

C A N T I C V M . III. 8.

AB immūdis, & vanis cogitationibus munda conscientias nostras Domine; ut dignè sumamus panem de mensa sancta tua.

Angelorum custodia munito Domine nos fideles tuos; dum panem illorum manducamus in mensa tua.

Tunc enim Diabolus, & Angeli eius trementes discedunt à nobis; quoniam tanquam hostes

stes suos fugiunt sanctos Angelos tuos.

Spiritum superbiæ, & omnium peccatorum expelle à nobis in virtute huius Sacramenti ; humiles, & deuotos fac nos in manducazione carnis tuæ.

Disperge Domine Diabolum, & omnes infidias eius ; ne decipiat nos manducantes sanctam carnem tuam. Gloria Patri, &c.

C A N T I C U M IV. 9.

Extingue in nobis, Domine, fomitem libidinis in manducazione carnis tuæ ; & perpetuæ castitatis cingulo præcinge nos famulos tuos.

Mortifica in nobis stimulos, & commotiones carnis nostræ ; ut tantum Sacramentum Angelica puritate sumamus usque ad mortem.

Multa etenim cordis contritione, & lachrymarum effusione sumendum est Sacramentum ex altari tuo ; nam caro, & sanguis tuus pretiosus sumitur in eo.

Omnium Angelorum, & exercituum turba assistit in illo ; Sanctus, Sanctus, Sanctus proclamat incessanter.

Tu Domine Iesu sacrificium es, & Sacerdos æternus ; propterea genuflexi, & humiles corde illud adoramus, & veneramur. Gloria Patri, & Filio, &c.

C A N-

C A N T I C U M V. 10.

NVllus ad tantum Sacramentum securus accedit; nisi tu Domine dignos feceris accedentes ad illud.

Ecce indignos nos ipsos agnoscimus, & fatemur; propter peccata enim nostra longè facti sumus aliquando à manducatione carnis tuæ.

Veruntamen tu solus Domine nos dignos facere potes ad manducandum carnem tuam; quoniam tu solus mundos facere potes ex immundo semine conceptos.

Propterea accedentes ad mensam tuam genuflexi te Domine exoratus; vt probata vndeque conscientia nos ad illâ deducere digneris.

Vt dulcedinem tanti Conuiuij sentiamus in visceribus nostris & sic ineberiati te solum diligamus viuentes in terra. Gloria Patri, &c.

H Y M N V S.

SAcramentum hoc dignissimum
Mundi corde, atque corpore
Duntaxat licet sumere,
His namque tantum proderit.
Sancti ad hoc preproperent,
Accedant cum lœtitia,
Tuta cum conscientia,
Hoc dignè credant sumere.

Hos

SANCTISS. SACRAMENTI. 17

Hos Christus cum Ecclesia

Mensem ad istam conuocat,

Hos namque dignos prospicit

Deus de cœlo Altissimus.

Patrem, eiusque Filium,

Communem quoque Spiritum

In isto sacrificio

Adoremus unanimes. Amen.

V. Panem de cœlo p̄æstisti nobis. Alleluia.

R. Omne de cœlo p̄æstatum in se habentē. Alleluia.

Oremus.

O Mnipotens, & misericors Deus, qui ad perpetuum erga fideles tuos amorem ostendendum Ecclesiæ dilectissimæ sponsæ tuæ corpus, & sanguinem virginis filij tui sub speciebus panis, & vini consecrati relinquere dignatus es; fac nos ita illud dignè sumere, ut eius virtute & ternum salutis nostræ beneficium consequi mereamur. Per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.

C A N T I C U M I. II.

M Emoriam passionis tuæ facimus Domine Iesu Christe; dum ad manducandam carnem tuam accedimus ad mensam tuam.

Ad delēda quoque peccata nostra instituisti sacrificium altaristui; ad iustificationē impiorū reliquisti illud Ecclesiæ dilectæ sponsæ tuæ.

B Susci-

Suscipe illud Domine de manibus sacerdotum tuorum; & dignè oblatam ascendat in con spectu Dei Altissimi.

Saluos fac Domine fideles tuos illud vene rantes; quos redemisti pretioso sanguine tuo.

Quid enim prodest nobis redemptio tua Do mine; nisi saluos feceris quos tanto pretio rede misti? Gloria Patri, &c.

C A N T I C U M II. 12.

Thesaurum immensæ Charitatis tuæ est tantum Sacramentum Domine; etenim sancta charitas tua duxit te ad instituendum illud.

In omnibus vtique operibus tuis charitas tua quam magna elucescit; in hoc tamen tan quam flamma coruscat in Ecclesia tua.

Quis enim vnquam carnem suam ad manducandum, & sanguinem suum ad bibendum de dit amicis suis; sicut tu Domine dedisti cunctis fidelibus tuis?

Ad refocillandas animas electorum tuorum dedisti carnem tuam; nec consumitur, dum manducatur à nobis.

Accidentia eius tantummodo corrumpuntur in stomacho; caro autem, & sanguis tuus absque corruptione desinit esse ab illis.

C A N T I C V M III. 13.

AVfer à nobis Domine fidelibus tuis omnē immunditiam; ne tanti sacrificij fructibus à te priuemur in terris.

Hoc etenim peccatores iustificat peregrinantes in terra; in cœlo autem beatificat eos in æternum.

Templum tuum perlucidum sicut Solem fac Domine animas nostras; ut dignè habites cum manducantibus carnem tuam.

Domus Maiestatis Altissimæ, & Angelorum tuorum sunt mentes nostræ; dum mundas ab omni labore peccati inuenis illas,

Quām valde gloriaris Domine, manere cum electis tuis manducantibus carnem tuam; nec vnguam discedis à cordibus eorum. Gloria, &c.

C A N T I C V M IV. 14.

Caro tua Domine, & sanguis tuus consolatur afflitos, mœstos autem, & tristes lætitificat vniuersos.

Conuiuum sacræ mensæ tuæ Domine vnamimes facit, & amicos cenantes in eo; odium etenim expellit à cordibus eorum.

Ab hostiū insidijs eripit populos tibi fideles; in pace perpetua viuere facit māducātes illam.

Captiuorum lacrymas semper audit, & gemitus eorum; liberos, & lætos remittit eos ad ciuitates suas.

Orphanos, & viduas, afflitos, & tribulatos consolatur; debiles, & senes, & infirmos fortificat in necessitatibus eorum. Gloria Patri, &c.

C A N T I C U M V. 15.

QUAM benignum, & quam clementem in hoc Sacramento nouimus te Domine; quoniam in virtute eius posuisti salutem nostram.

Quam magnum, & excelsum te Domine ostendis in eo; præclaram enim in eo facis potentiam tuam.

Quam pium, & clementem cognoscimus te in Sacramento altaris tui; quoniam non tanquam Dominum, sed tanquam Patrem ostendis te nobis in eo.

Quam dulcem, & quam suauem agnoscunt te poenitentes in hac Angelica, & cœlesti cena; quoniam veniam peccatorum suorum inueniunt in ea.

Quam potentem, & quam sapientem ostendis te in institutione huius Sacramenti; quoniam accidentia panis, & vini sine substantia manere facis in eo. Gloria Patri, &c.

H Y M N V S.

Hanc ad mensam Angelorum
Iam fideles veniant,
Hæc tantum est parata
Christi emptis sanguine,
Tota namque est diuina,
Cœlestisque undique.

Nuptiali ueste solūm
Illam decet ingredi,
Secus enim foras vadunt
Quād dolore maximo
Sine illa accedentes
Ad cœnam hanc cœlicam.
Gratias Patri, atque Nato,
Sanctoque Spiritui
Infinitas persoluamus
Ob tam beneficium
Inter cuncta singulare
Facta nobis Domino. Amen.

¶. Panem de cœlo præstisti nobis. Alleluia.

R. Omne delectamentū in se habentē. Alleluia.

Oremus.

Omnipotens, & misericors Deus, qui Vni-
geniti tui carnē in cibum, & sanguinem
eius in potū nobis donare dignatus es, cōcede
propitius, ut quē sub panis, & vini accidentibus
velatum in via suscipimus, facie ad faciem in cœ-
lesti patria videre mereamur. Per eundem &c.

B 3 CAN.

C A N T I C V M I. 16.

IN iustitia tua Domine conseruas dignè mā-
ducantes carnem tuam; aures autem misericordiæ tuæ patent precibus eorum.

Iustus es Domine, & iustos facis epulantes
in mensa tua; sicut aurum in fornace probas il-
los, ut dignè accedant ad eam.

Vias duras, & asperas perambulare facis co-
medentes panem sanctum tuum; quoniam ini-
micos quoque suos diligunt, secundum præce-
ptum tuum.

In semitâ mandatorum tuorū dirigis gressus
manducantium carnem tuam; quoniā hēc est prē-
paratio dignè accedendi ad mensam tuam.

Misericordiam tuam quām magnam ostēdis
epulantibus in sacro Coniuio tuo; ut saluas fa-
cias animas eorum. Gloria Patri, &c.

C A N T I C V M II. 17.

IGnem Spiritus sancti accende Domine in
cordibus nostris; ut sic calefacti accedere
mereamur ad dulcissimam mensam tuam.

Cor carneum, & molle da manducantibus
panem tuum; ut lacrymas multas effundant ac-
cedentes ad sanctam cœnam tuam.

Tuam Deus clementiam ex toto corde im-
plora.

ploramus; vt sereno, ac placido vultu respicias
nos sedentes in mensa tua.

Quid enim felicius, quid utilius, ac iucundius;
quā sine macula sedere tecū in mensa tua Dñe?

Vnum enim, & idem fit tecum dignè mandu-
cans carnem tuam; ex homine namque Deus
fit, & diuinus. Gloria Patri, &c.

CANTICVM III. 18.

SOlatum quām magnum cōfert hoc Sacra-
mentum animabus defunctorum; consola-
tionem quām magnam donat eis.

Pœnas etenim illorum breues facit, & leues;
solutas tandem in regnum cœlorum ducit eas.

Fortes facit, & victores, vt viaticum dignè
sumentes illud; propterea non timent dæmo-
nes, nec insidias eorum in nouissimo bello.

Contremiscunt dæmones in oblatione huius
sacrificij; & tabescunt propter salutem dignè
offerentium, & manducantium illud.

Propterea dæmones odio habent Christifi-
deles illud venerates, & sumentes; & plusquā in
inferno cruciatur in cōspectu eius. Gloria, &c.

CANTICVM IV. 19.

Christus panis viuus, qui de cœlo descen-
dit, offertur, & manducatur in hac mensa;

propterea qui offert, & māducat hunc panem,
viuet in æternum.

Christus via , veritas , & vita sumitur in ea ;
Christus filius Dei , & hominis totus manet in
ea .

Christus Agnus immaculatus , lucerna do-
mus Dei Altissimi viuit sub speciebus panis, &
vini ; quem Angeli trementes adorant , & col-
laudant in æternum .

Christus Redemptor , & Saluator mundi ma-
net in hoc pane cœlesti ; propterea cœlestes siūt
omnes, qui dignè manducant illum .

Christus , qui mundum vniuersum gubernat ,
& regit , corporaliter adest in eo ; Christus ad
dexteram Patris sedens gloriosus , & immorta-
lis , adoratur in eo . Gloria Patri , &c .

C A N T I C U M V. 20.

E Surientes , & sitientes omnes recreātur , &
refocillātur in mensa tua Domine ; & qui
sancti sunt , adhuc sanctificantur in ea .

Cum Angelis exultantes , te Christum ma-
gnificant , qui dignè sedent in mensa tua ; te
Deum , & hominem credētes , confitētur in ea .

Hunc panem solum verum esse fatemur , &
credimus ; quoniam hic solus reficit , & satiat ele-
ctos tuos in cœlo , & in terra .

Panis enim substancialis est , & diuinus ; propte
rea

rea qui māducant illum, viuunt in sēculū sēculi.

Nisi enim panem hunc manduauerint fideles tui Domine; terram viuentium non intrabunt in æternum. Gloria Patri, &c.

H Y M N V S.

Panis hic cœlicus nobis aperuit
Cœlorum ianuas, quas culpa clauserat
Parentum maxima verbis paucissimis
Deceptorum Diaboli.

Deum Altissimum placatum reddidit,
Ipsum Diabolum vinxit & fortiter
Illi dominium antiquum auferens,
Aeterno tradens baratro.

Noſtri chirographum peccati abstulit
Omni noſtro lacerans, cuncti quo dæmonis
Ligati vinculis electi etiam
Manebant tunc durissimis.

Omnes, quas posſumus, reddamus gratias
Patri ingenito, Natoque genito,
Atque Spiritui ſancto paraclito
Ex nunc, & in perpetuum. Amen.

¶. Panem de cœlo præstisti nobis. Alleluia.

R. Omne delectamentū in ſe habentē. Alleluia.
Oremus.

Omnipotens æterne Deus, qui nobis fideli-
bus tuis sanctissimum Eucharistiæ Sa-
cramentum pro æterna Christi filij cui paſſionis
me-

memoria celebranda reliquisti; concede proptius, ita nos nunc sancte, ac deuotè illam celebrare, ut eius diuinitatem, & gloriosam humanitatem videre mereamur in celis. Per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.

C A N T I C U M I. 21.

COpiosa, & ineffabilis gratia descendit super epulantes in mensa tua Domine; quoniam tu Christus Deus, & homo manus in ea.

Semper acceptabilis est Majestati Altissimi digna manducatio carnis tuæ; cunctas autem Angelorū hierarchias, & oēs electos lætitificat.

Vivis, & defunctis prodest panis mensa tuæ; peccatores enim ad pœnitentiam, hereticos autem dicit ad fidem.

Nunquam in aenam hæc Hostia ab Ecclesia fuit oblata, quoniam Christus fons æternæ vite offertur in ea.

Virtutē, & efficaciam tanti Sacramenti quis nunquam enarrabit? infinita sunt enim, & inenarrabilia munera eius. Gloria Patri, &c.

C A N T I C U M II. 22.

AB ortu Solis, Domine, usque ad occasum Ecclesia Dei pascitur pane mense tuę; per totū enim orbem terræ diffusi sunt fideles tui.

Cun-

SANCTISS. SACRAMENTI. 27

Cunctos electos tuos purificat, & sanctificat tam magnum, & venerabile Sacramētum; contemptores namque mundi facit dignè accedentes ad illud.

Divinitatis Altissimi participes fiunt manducantes carnem tuam, quoniam deitatem ipsius, & gloriosam humanitatem tuam in cœlo videbunt in æternum.

Digniores, quā Angeli facti sunt fideles tui; quoniam Angeli nunquam manducauerunt carnem tuam, neque biberunt sanguinem tuum.

Hunc etenim cibum, & hunc potum solis hominibus reliquisti Domine; veruntamen Angelii non manducando, sed adorando sentiunt dulcedinem eius. Gloria Patri, &c.

C A N T I C V M III. 23.

TV Christe fons æternę dulcedinis panem hunc donasti nobis; propterea dulcior, quam mel, & fauus est in ore dignè manducantium eum.

Munda Domine corda nostra, & mentes nostras; ut dulcedinem carnis tuæ sentiamus sedentes in mensa tua.

Nimis delicatus est cibus, quem dedisti electis tuis Domine; propterea puritatē quam magnam exquiris à manducantibus panem tuum.

Deos facit nos, & Angelos cibus, & potus mensæ

mensæ tuæ; cohæredes quoque tuos facit nos
in regno tuo.

Quam candidus, & quā suavis est panis men-
sæ tuæ Domine; propterea soli verè pœnitētes
dignè sedent tecum in ea. Gloria Patri, &c.

C A N T I C V M IV. 24.

Mundi salus, & vita manet in pane coenæ
tuæ, gloria, & diuitię Altissimi inueniun-
tur in eo.

In ventre Matris tuæ intemeratæ formatus
est panis iste cœlestis, Domine; in ara autem
Crucis decoctus est igne charitatis tuæ.

Solus panis mensæ tuæ famelicos satiat, &
rerum omnium sitim extinguit; strenuos facit,
& fortes comedentes illum, aduersus dæmo-
nes, & insidias eorum.

Cibus, & potus æternus est mensæ Altissimi
panis tuus; Angelos enim, & electos tuos nu-
trit in cœlo, & beatos facit eos in perpetuum.

Peregrinantes autem in terra, per vias rectas
deducit eos; à laqueis Diaboli, & Angelorum
eius eripit dignè manducantes illū. Gloria, &c.

C A N T I C V M V. 25.

De cœlo descendisti Domine, ut panis vi-
uus, & verus fieres electorum tuorum;
&

& vitam dares epulantibus in mensa tua.

Propterea longè fac à nobis omnem maculam mentis, & corporis; vt pacem vndique sentiamus in mentibus nostris, dum manducamus carnem tuam.

Tu Domine panis noster dulcissime sanctifica animas nostras; vt vitam Angelicam ducentes, dignè accedamus ad sacram mensam tuam.

Perpetuum habitaculum tuum fac Domine corda nostra; vt solus Spiritus sanctus tuus habitet in nobis vescientibus pane tuo.

Intus, & foris, & vndique munitos, & mūdos fac nos Domine; vt manducātes carnem tuam, virtutem eius sentiamus in nobis. Gloria, &c.

H Y M N S.

Panem nobis dulcissimum
Parauit Deus p̄fissimus
Sola ductus clementia,
Qua cuncta fecit opera.
Hunc nobis in perpetuum
Cibum reliquit Dominus
Ad finem usque saeculi
Totus nobiscum remanens.
Hic magnum est solatium
Cunctis Christifidelibus,
Dignè tamen sumentibus
Carnem eius, & sanguinem.

Hinc

Hinc Deo nos perpetuas

Laudes soluamus cordibus,

Totis atque visceribus,

Qui nostam fecit nobiles. Amen.

¶. Panem de cœlo præstisti nobis. Alleluia.

R. Omne delectamentū in se habentē. Alleluia.
Oremus.

Deus, qui propter nimiam charitatē tuam
in sanctissimo Eucharistiæ Sacramento
Vnigenitum tuum vsque ad nouissimum diem
seculi nobiscum manere voluisti, fac, quæsumus,
ita nos illud venerari, & manducare, ut eo frui
in cœlo mereamur in æternum. Per eundē &c.

C A N T I C V M I. 26.

Ad tuum dulcissimum Conuiuium accedi-
mus Domine; dignè cum Apostolis tuis
fac nos sedere in mensa tua.

Tu enim ad illud vocas, & inuitas omnes fi-
deles tuos; nulli vñquam adhuc clausisti ianuas
eius.

Beati omnes, quos vocas ad mensam Conui-
uiij tui; quoniam tanquam iustos certos facis de
salute eorum.

Non enim peccatores, sed iustificatos pœni-
tentia, vocas ad mensam sanctam tuam; soli
namque iusti dignè accedunt ad eam.

Propterea, Domine, iustifica peccatores
re-

SANCTISS. SACRAMENTI. 31
redemptos sanguine tuo; vt omnes dignè ingre-
diantur ad cœnam tuam. Gloria Patri, &c.

C A N T I C V M II. 27.

TV æterna Deitas, & tremenda Maiestas
respice infirmitatē nostrā; purifica nos
Domine priusquam manducemus carnē tuam.

Angustię enim vndique sunt nobis; & in dies
multiplicantur iniurici nostri.

Propterea sæpe longè manemus à mensa
Conuiuij tui; & trementes accedimus ad man-
ducandam carnem tuam.

Vincula peccatorum nostrorum distumpe
benignissime Deus; exitus aquarum ducant
oculi epulantiuṁ in mensa tua.

Petrum, & Magdalenam fac nos imitari, pę-
nitentiam agentes; antequam ingrediamur ad
sanctam cœnam tuam. Gloria Patri, &c.

C A N T I C V M III. 28.

PLagas peccatorum nostrorum ostendimus
tibi Christe Redemptori nostro; sana illas
propter clementiam tuam in manducatione
carnis tuæ.

In domo Pharisæi recumbens curasti Magda-
lenam dilectam sponsam tuam; ubi sodales tui
non manducabant carnem tuam.

Epu-

Epulantibus autem in mensa tua , remittis peccata eorum; & iustificas eos propter mandationem carnis tuæ.

Carnem nostram , & stimulos eius extinguit in nobis virtus carnis tuæ; dum sanctè illam sumimus de sacra mensa tua .

Cogitationes cordis nostri, tanquam aurum in fornace , purgantur in manducatione carnis tuæ; reliquias culpæ nullas relinquit in mentibus nostris. Gloria Patri, &c.

C A N T I C U M I V. 29.

Quam magnam , & immensam misericordiam inueniunt apud Altissimum , omnes , qui dignè accedunt ad Conuumium mensæ tuæ.

Fons omnium gratiarum, & virtutū est illud; propterea plusquam Angeli sanctiores fiunt quandoque comedentes carnem tuam.

Angeli enim semel mereri potuerunt antequam clarè viderent essentiam Dei ; homines autem millies mereri possunt dignè comedentes carnem tuam.

Mensa Trinitatis immensæ, est mensa tua , Domine Iesu ; propterea omnes quam longè satiantur in ea .

Similes tibi fiunt omnes sedentes tecum in mensa tua , Domine ; non enim homines , sed Seraphim apparent in ea. Gloria Patri, &c.

C A N -

C A N T I C V M . V. 30.

SAlve vi^{ti}ma salutaris, salue hostia pro salu-
te mundi oblata; tu sola cum Altissimo re-
conciliare potuisti peccatores.

Nullum sacrificium, neque holocaustum por-
tas cœli aperuit aliquando; tu sola Christum
Deum, & hominem continens, cœlum aperui-
sti nobis.

Tu etenim sanguinem Christi pretiosum pro
nobis conseruas; tu sola contines pretium salu-
tis nostræ.

Tu spes nostra, & gaudium nostrum, tu mer-
ces nostra copiosa facta es; tu securus portus
manducantium te manes in perpetuum.

Nullus vñquam dignè manducans carnem
Christi manentem in te, ad lapidem offendit pe-
dem suum; nec de libro vite deletum est nomen
eius. Gloria Patri, &c.

H Y M N V S.

MEntes nostras purgat, mundas
Seruans hoc Coniuicium,
Carnis magnos, atque fortes
Nostræ domat stimulos,
Templum Dei dignum reddit
Fida nostra pectora.

C

Hac

Hac in mensa sanctiores

*Sancti fiunt homines,
Christi verè cohæredes,
Aequalesque Angelis,
Atque cœli ciues sancti,
Dei digni gloria.*

Trinitati sempiternus

*Honor sit, & unicus,
Quæ cœlum, terram, ac pontum,
Angelorum ordines
Solo verbo fecit, sibi
Protoplasm similem. Amen.*

¶. Panem de cœlo præstisti nobis. Alleluia.

¶. Omne delectamentū in se habentē. Alleluia,
Oremus.

TAnti, quæsumus Domine, Sacramenti virtutes fac nos agnoscere, ut ad illud maiori, qua possumus deuotione accedētes, cuncta, quæ nobis ad perpetuam mentis, & corporis salutem prodesse possunt, à te consequi mereamur. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

C A N T I C U M I. 31.

QVAM mirabile est Sacramētum altaris tui Domine; quoniam medicina salutaris est omnibus, qui dignè accedūt ad illud. Fons immensæ misericordiæ est Sacramen-
tum tuum ; in quo plusquam nix dealbantur dignè

dignè illud sumentes.

Tu Christe lumen de lumine, totus, & integer manes in eo ; ad illuminandos electos tuos reliquisti illud Ecclesiæ tuæ.

Quàm magnæ, & quàm multæ diuitiæ absconduntur in Sacramento altaris; pauperes, & egenos diuites facit in æternum.

Frigidos calefacit, & nudos vestit hoc Eucharistiæ Sacramentum; esurientes, & sitiens recreatur, & satiantur in virtute eius. Gloria, &c.

C A N T I C U M II. 32.

QVÀM magnū, & quàm venerabile est hoc sacrificium Domine ; etenim filius tuus, Dominus, & rex omnium sçulorum offertur in eo.

Quàm felices, & quàm beati, qui dignè accedunt ad mensam illius; quoniā nō solùm Sacramentum, sed rē etiam, & virtutē eius suscipiunt.

Carnem tuam ex Virgine suscep̄tam manducant fideles tui ; quotiescunque in mensa tua epulari facis eos.

Membra corporis tui fiunt omnes, qui dignè manducant carnem tuam ; in perpetuum enim incorporantur Maiestati tuæ.

In hoc enim sacrificio manes tu vita æterna ; propterea fac nos dignè manducare carnē tuā, quæ Altissimo offertur in eo. Gloria Patri, &c.

C A N T I C V M III. 33.

TE velatū sub speciebus panis, & vini nunc
in via suscipimus Domine; te facie ad fa-
ciem videre speramus in cœlo.

Fides sola satis est ad credendum te manere
in Sacramento; mysterium enim fidei est hoc
Sacramentum tuum.

Beati omnes, qui hoc credentes perseuerant
vsque ad mortem; quoniam coronam vitæ acci-
pient de manu tua.

Quid stultius, Domine, quam de doctrina tua
dubitare? tu enim Deus verus de Deo vero di-
xisti, Hoc est corpus meum.

Hæc verba tanquam vera à Solis ortu vsque
ad occasum resonant in ore sacerdotum fidelium
eorum; dum hoc Sacramentum conficiunt, il-
lad offerentes Maiestati Altissimi. Gloria, &c.

C A N T I C V M IV. 34.

SAgitta amoris tui transfige corda mandu-
cantium carnem tuam Domine; & viscera
bibentium sanguinem tuum inebria.

Fac Domine, ut anima nostra hunc panem
tuum solum semper esuriat; & hunc sanguinem
tuum pretiosum semper sitiatur.

Quoniam tu Domine totus, & integer ma-
nes

nes in illo; qui duobus piscibus, & quinque panibus quinque millia hominum satiasti.

Tu solus animas nostras hoc pane satiare potes in perpetuum; quoniam beatos facis dignè manducantes carnem tuam.

Hunc panem in coelo manducant electi tui sedentes tecum in mensa tua; propterea non esuriunt, neque sitiunt in æternum. Gloria Patri, &c.

C A N T I C U M V. 35.

I quefiant Domine corda manducantium carnem tuam; & te solum concupiscant viscera eorum.

Cupiant dissolui, & tecum esse in paradiſo; ubi solum veram, & perpetuam requiem posſunt inuenire.

Illic enim panis iste Angelicus vnde satiat electos tuos; absque enim velamine videbunt faciem tuam.

Omnem dulcedinem, & saporem, & perpetuam suavitatem huius panis sentiunt manentes in mensa tua; quoniam quod crediderunt, videntes possident, eoque fruuntur.

Fons æterni luminis est iste panis in cœlo; torrens voluptatis æternæ, & immensa vberitas domus Dei Altissimi. Gloria Patri, &c.

H Y M N V S.

Panem istum manducantes
 Omnes mundi respuunt
 Pompas, atque voluptates,
 Cunctas ac diuitias,
 Illas namque iam fallaces
 Esse noscunt undique.

Hinc æternas semper querunt,
 Veras ac delicias,
 Iam dissolui cupientes,
 Ut cum Christo gaudeant.
 Timor mortis nullus illic,
 Neque dolor permanet.

Dulcis satis, ac suavis
 Hac in mensa sumitur
 Panis, quem reliquit Christus
 Suis iam fidelibus;
 Pellit inde peccatores
 Obstinatos, reprobos.

Patrem semper generantem,
 Natum semper genitum,
 Ambos semper & spirantes
 Semper ductum Spiritum
 Adorantes veneremur
 Per æternas sæcula. Amen.

¶. Panem de cœlo præstitisti nobis. Alleluia.

¶. Omne delectamentū in se habentē. Alleluia.

Ore-

Oremus.

OMnipotens, & misericors Deus, qui carnem filij tui in mensa Angelorum manducare præcepisti; concede, quæsumus, ita nos illam dignè manducare, ut eandem ad dexterā tuam in cœlo sedētem videre facias in æternū. Per eundē Christum Dominum nostrū. Amen.

C A N T I C V M I. 36.

Hoc pane refecti, Domine, ad te currunt exultantes; & te solum cupiunt, & sollicitè quærunt inuenire.

Ad æternā gloriam nominis tui omnia operantur; qui dignè sedent in mensa tua.

In mandatione carnis tuæ spem suam ponunt fideles tui; quoniam te fontem omnium bonorum esse credunt in ea.

Propterea dulcius, quam mel, & fauus resonat laudatio tua in ore eorum; nec unquam fatigantur laudantes te manentem in ea.

Thesaurum omnium diuitiarum, & deliciarum inueniunt in hoc pane cœlesti; ideo nunquam discedere vellent à mensa tua. Gloria, &c.

C A N T I C V M II. 37.

PAnis, & vini accidentia tantum cernimus, Domine; diuinam tamen essentiam tuam,

& humanitatem tuam gloriosam sub illis manere credimus indubitanter.

Plagas tuas in Sacramento non videmus Domine; veruntamen illas cum sanguine tuo pretioso in illis manere fatemur.

Animam tuam, & suppositum tuum oculi nostri non vident in eo; auditus autem, & intellectus noster hæc omnia credunt, & docent.

Propterea veniam peccatorum inueniunt apud te omnes; qui rectè sentiunt de Sacramento corporis tui.

Gratiam tuam Domine das omnibus, qui credentes manducant carnem tuam; & gloriosam mansionem sibi paratam inueniunt in domo Altissimi. Gloria Patri, &c.

C A N T I C U M III. 38.

FIrma, ac tuta defensio nostra est manducatio carnis tuæ Domine; victores enim facit nos in omnibus certaminibus nostris.

Propugnaculū inexpugnabile est panis mensæ tuæ Domine; quasi acies ordinata est aduersus dæmones, & infidias eorum.

Mons magnus, & inacceſſibilis est mensa conuiij tui; ad quem accedere non possunt Diabolus, & Angeli eius.

Tu etenim Altissimus cū Angelis tuis manes in ea; propterea dæmones trementes longè fugiunt ab ea.

Beati

SANCTISS. SACRAMENTI. 41

Beati omnes, qui dignè manducātes carnem tuam, adhærent tibi; quoniam in viam salutis æternæ dirigūt omnes gressus suos. Gloria, &c.

C A N T I C V M IV. 39.

R Etributionem æternam expeſtant à te dignè manducantes carnem tuam Altissime; nec vana eſt expectatio eorum.

Quoniam fidelis es tu in omnibus prominōnibus tuis; nullum enim hucusque frustratus es Domine in verbis tuis.

Preces dignè manducantium carnem tuam ex audisti ſemper; nunquam enim vacuæ reuerſæ ſunt in conſpectu Maiestatis tuæ.

Animas electorum tuorum iuſtificat manducaſio pretiosæ carnis tuæ; propterea tu Domine festinanter exaudis orationes eorum.

Ipsi verò exultantes canticū nouum cantant Maiestati tuæ; dum tecū ſedent ad manducandum, & bibendum in ſacra mensa tua. Gloria, &c.

C A N T I C V M V. 40.

M Irabilis es Domine in omnibus operibus tuis; in Sacramento autem Eucharistię te quam mirabilem, & quam potentem oſtendis.

Hoc etenim ſacrificium vniuersum orbem terrarum redemit; hoc ſolum efficaciam habuit recon-

reconciliandi cum Deo peccatores.

Hoc sacrificiū expectauit Deus Altissimus; quoniam te Deum, & hominem obtulisti diuinæ Maiestati suæ.

Te mirabilem vtique in cunctis operibus tuis agnoscimus; in Sacramento autem Eucharistiae immensæ largitatis tuæ abundatiā prædicamus.

Propterea in libro vitæ scripta sunt nomina dignè manducantium carnem tuam; nec vñquā deleta sunt, neq; delebuntur ab eo. Gloria, &c.

H Y M N V S.

Ecce conuiuium Christifidelium,

Ad illud currite omnes, qui cupitis

Vestras reficere abundè animas,

Nam panis est Angelicus.

Manna est equidem cœlestis vndique,

Saporem omnium ciborum conferens,

Sumentes etenim omnes iustificat,

Gratosque Deo faciens.

Virosque debiles longè fortificat,

In bello milites victores efficit,

Triumphos præparat, palmasque cœlicas,

Coronas ac perpetuas.

Excelso debitas soluamus Domino

Grates, quas possumus, vt tanti memores

Agnoscat muneris, quod eius Genitus

Suis fecit fidelibus! Amcn.

X. Pa-

¶. Panem de cœlo præstisti nobis . Alleluia.
R. Omne delectamentū in se habentē. Alleluia.

Oremus.

O Mnipotens æterne Deus, qui populum
Israelicum in deserto degētem, suauissi-
mo cibo quadraginta annis nutritum, in terrā
promissionis introducere dignatus es; cōcede,
quæsumus, ita nos sanguine filij tui vnigeniti
redemptos, carnem eius dignè manducare , vt
ad terram viuentium, mel, & lac manantem ,
ascendere mereamur . Per eundem Christum
Dominum nostrum . Amen .

C A N T I C V M I. 41.

NE longè facias auxilium tuum Domine à
nobis tantum Sacramentum veneranti-
bus ; te etenim in illo manere credentes confi-
temur .

Coram hæreticis , & infidelibus te Christum
Dei vnigenitum sub speciebus panis, & vini to-
tum, & integrum manere prædicamus; nec mar-
tyrium timemus subire , hoc prædicantes .

Multi namque ab hæreticis , & infidelibus
interempti sunt; vt tanti Sacramenti veritatem
defenderent prædicantes .

Veruntamen mercedem copiosam recepe-
runt de manu benignitatis tuæ; ianuas enim cę-
li aperuisti illis ab hac vita migrantibus.

Bene-

Beneplacitum est semper Maiestati tuę super electos tuos; qui sanctā Eucharistiam sumentes, ex toto corde venerati sunt. Gloria Patri, &c.

C A N T I C V M II. 42.

Confundantur Domine non credentes te manere in Sacramento altaris; obmutescant, & tabescant de eo peruersè loquentes.

Doctrinam autem tuam, & Ecclesiæ sponsæ tuæ credentes, consolare Domine; & saluas fac animas eorum.

Magnifica Domine fideles tuos tantum Sacramentum venerantes in terra; & exalta illos in coelo cum Angelis tuis.

Beati omnes, qui hanc veritatem intelligentes confitentur; quoniam filij Dei, & cohæredes tui constituentur in regno tuo.

Tu Domine cōseruas manducantes carnem tuam, & beatos facis eos; & nūquam tradis eos in manus inimicorū suorum. Gloria Patri, &c.

C A N T I C V M III. 43.

Pax multa dignè manducantibus panem tuum Domine; quoniam in protectione tua manent vsque ad mortem.

Nunquam præualuerunt dæmones aduersus dignè sedentes in mensa tua; quoniam fortitudine,

tudine, & gratia replentur in ea... .

Misericordiam tuam quam magnam cognoscunt fideles tui; dum reficiuntur carne, & pretioso sanguine tuo.

Innocentes, & mundos quasi Angelos facis manducantes, & bibentes in mensa tua; & quasi sanctos ambulare facis eos in conspectu tuo.

Die, ac nocte benedicunt, & honorificant nomen sanctum tuum; ut dignè semper accedant ad manducādam carnem tuam. Gloria Patri, &c.

C A N T I C U M IV. 44.

Sicut cerui vulnerati ad torrētem aquarum festinant; ita fideles tui currunt ad Sacramentum fontem aquarum viuentium.

Sanguinem tuum pretiosum bibentes in mensa tua, non sitiunt amplius; quoniam sitis omnium rerum extinguitur in ea... .

Propterea cupiunt dissolui, & tecum in celo manere; ut te facie ad faciem videntes, beati vivant in æternum.

Lacrymas, & preces assiduas effundunt accedentes ad mensam tuam; sic animas suas purificant manducantes carnem tuam.

Exultantes, & lætantes sedent epulantes in mensa tua; & in gratiarum actione manent incessanter. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto. &c.

C A N-

C A N T I C U M V. 45.

IN tristitia quām magna viuimus quoadusq;
ad mensam tuam accedimus; in ea etenim
sola tu Domine consolariſ fideles tuos.

Dulcedine quām magna replentur edentes,
& bibentes in mensa tua; propterea ne repellas
nos à manducatione carnis tuæ.

Misericordiam tuam quām magnā ostendisti
Domine in omnibus operibus tuis; in Sacramē-
to autem Eucharistiæ excessum charitatis tuæ
manifestas nobis.

Propterea nos quoq; igne charitatis accensi,
ad illud conamur accedere; charitatem autem
non habentes indignè manducant carnē tuam.

Judas etenim non charitate, sed auaritia, &
odio accensus accessit ad conuiuum sacramen-
tum; propterea tradidit te in manus quæren-
tium perditionem tuam. Gloria Patri, &c.

H Y M N V S.

Hoc ſolum ſacrificium
Noſtræ ſalutis preium
Fuit, atque ſolatium
Beatorum iam unicum.
Fortitudo debilium,
Gladius eſt pugnantium,
Panis eſurientium,
Potus & fitientium.

Falla.

Fallaces vincit dæmones,

Aegros reddit incolumes,

Ad vitam vocat mortuos,

Ad fidem sæpe hæreticos.

Sempiterna sit gloria

Patri, qui solus generat,

Nato, qui solus gignitur,

Ei, qui solus ducitur. Amen.

¶. Panem de cœlo præstisti nobis. Alleluia.

¶. Omne delectamentū in se habentē. Alleluia.

Oremus.

O Mnipotens, & misericors Deus, qui tan-
tum Sacramentum pro totius mundi sa-
lute Maiestati Altissimi offerri præcepisti; con-
cede, quæsumus, ita nos illud deuotè, & sanctè
offerre, & sumere, ut eius in nobis beneficia sen-
tiamus æterna. Qui viuis, & regnas Deus in
sæcula sæculorum. Amen.

C A N T I C V M I. 46.

Sola cōgregatio fidelium tuorum nouit vir-
tutem panis tui; propterea sæpe accedunt
ad sacram mēnsam tuam.

Confirmā Domine nos famulos tuos in fide,
& veneratione tanti Sacramenti; vt resonet in
ore nostro apud omnes gentes virtus illius.

Spiritus à Patre, & à te procedens adfis nos
bis in manducazione carnis tuæ; & ducat nos
ad

ad contemplandam excellentiam virtutis eius.

Sumptio carnis tuæ corda nostra lætificat
Domine; propterea confidenter accedimus ad
sacrum altare tuum.

Pignus vitæ æternæ datur electis tuis in men-
sa tua; tu enim dixisti, qui manducat carnem
meam, viuet in æternum. Gloria Patri, &c.

C A N T I C U M I I . 47.

O Pera tua ante aduentum tuum à te facta
audiuimus Domine; quę quām magnam,
& admirabilem ostendunt Maiestatem tuam.

Transubstantiatio autē panis in carnem tuā,
& vini in sanguinem tuum, stupore immenso
replet orbem terrarum; amorem enim tuum
infinitum ostendit nobis.

Qui manducant panem tuum fortis fiunt in
tribulationibus suis; victores autem aduersus
dæmones, & peccatores.

Hoc enim cœlesti cibo refecti, non declina-
mus à præceptis tuis; sed exultantes seruamus
mandata, & sancta consilia tua.

Virtus enim eius confortat nos ad faciēdam
voluntatem tuam; & gaudio magno valde re-
plet corda, & viscera nostra. Gloria Patri, &c.

C A N T I C U M III . 48.

Virtutem panis mensę tuæ quām magnam
eructant ora fidelium tuorū; nec timent
præ-

prædicantes illam apud hæreticos, & infideles.

Mortem quamvis non timent eleæti tui docentes veritatem, & efficaciam panis tui ; martyrium quoque subirèt exultantes propter eã.

Quasi sagittæ acutæ verba prædicantium virtutem cibi mensæ tuæ ; hæreticos enim adorare fecerunt corpus, & sanguinem tuum.

Gloria quâm magna est fidelibus tuis prædicare excellentiam conuiuij tui ; in hoc enim immensam charitatem tuam manifestam faciunt cunctis habitantibus orbem terrarum.

Propterea principes regni tui constitues dignè manducantes panem tuum ; & cohæredes tuos institues eos in æternum. Glòria Patri, &c.

C A N T I C U M IV. 49.

Refugium electorum tuorum fecisti mensam tuam Domine ; auxilium tuum quâm magnum inueniunt in ea.

Propterea epulantes in mensa tua non timet dæmones, neque insidias eorum ; quoniam fortiores sunt, dum recreantur in ea.

Abundantia gratiarum mensæ tuæ Domine vniuersam Ecclesiam tuam lætificat ; animas sedentium in ea sanctificat in perpetuum.

Cum Patre, & sancto Spiritu manes Domine in medio manducantium carnem tuam ; nec unquam longè manes ab eis.

D

Tu

Tu Dominus exercituum custodis mandu-
cantes carnem tuam; & formidabiles facis eos
Diabolo, & Angelis eius. Gloria Patri, &c.

C A N T I C U M V. 50.

Per vniuersum orbem terræ omnes fideles
plaudentes manibus hoc Sacramentum
venerantur; & exultantes manducant illud.

Carnem tuam manducant, & sanguinem tuum
bibunt; dum carnem tuam tantum sumunt de
manibus sacerdotum tuorum.

Te filium Altissimi in Sacramento manere
credunt, & confitentur; te filium Mariæ semper
intactæ adorant in eo.

In cœlum ascendens, Ecclesiæ tuæ reliquisti
illud; tanquam verum, & vnicum cibum consti-
tuisti illud electis tuis.

Super omnes reges, & populos eorum regnas
Domine propter fidem tanti Sacramenti; super
illud etenim fundata est vniuersa Ecclesia tua.
Gloria Patri, &c.

H Y M N S.

VIros innumerous hoc sacrificium
Ad fidem currere fecit Catholicam
De manu dæmonum illos eripiens,
Deique natos faciens.

Hoc

SANCTISS. SACRAMENTI. 54

*Hoc nobis patriæ iter tutissimum
Cœlestis indicat, expellit dæmones,
Nostras ne semitas rectas impediant,
Salutem iam dum quærimus.*

*Culpis hoc omnibus quamvis grauissimis
Nostris sufficiens, qui nūmō efficax
Est in perpetuum datum remedium
A Christo cœli Domino.*

*Cœlorum machinam immensam Domino
Regenti gloriam, atque perpetuum
Cultum alacriter soluamus latrīum
Ob tantum beneficium. Amen.*

¶. Panem de cœlo præstisti nobis. Alleluia.

R. Omne delectamentū in se habentē. Alleluia.
Oremus.

D EUS, qui ut electis tuis immensam charitatem tuam ostenderes, sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum instituisti; concede, quæsumus, ut tantam illi venerationem exhibamus, ut perpetuo amoris tui igne accensi, te super omnia diligere valeamus. Qui viuis, & regnas Deus per omnia sæcula sæculorū. Amē.

C A N T I C V M I. 51.

TE quām potentem, & mirabilem in hoc Sacramento prædicamus Domine; in quo accidentia sine subiecto manere credimus.

Fundamentum vniuersæ Ecclesiæ tuæ factū

D 2 est

est Sacramentum Altaris; propterea solemnitatem quam celeberrimam exultans decantat in memoriam eius.

Omnis populi, & nationes congregantur ad venerandum corpus tuum; dulces hymnos, & psalmos per plateas, & vicos ciuitatum, & oppidorum concinunt laetantes.

Dæmones autem contremiscunt, & tabescunt videntes fidem, & deuotionem eorum; & tanquam leones rugientes insurgunt aduersus eos.

Nos autem fideles tui mentes nostras eleuamus ad contemplandam virtutem panis mensæ tuæ; & illam prædicamus coram omni populo orbis terræ. Gloria Patri, &c.

C A N T I C V M II. 52.

A蒲 omnes gentes, & nationes hoc Sacramentum veneratur; quoniam ubique terrarum fundata est Ecclesia tua Domine.

Ab uberibus matrum suarum fideles tui sub speciebus panis, & vini carnem, & sanguinem Christi manere confitentur; propterea ab infancia gaudentes accedunt ad mensam tuam.

Premium redemptionis animarum suarum inueniunt in ea; etenim Christus Redemptor mundi manet in pane eius.

Hunc panem dignè manducantes, mortem non gustabunt in æternum; quoniam Christum vitam

vitam æternam sumunt manentem in eo.

Qui Christo adhæret manducans carnē eius,
vnum efficitur cum eo; ideo Diabolus, & Ange-
li eius non possunt nocere ei. Gloria Patri, &c.

C A N T I C V M III. 53.

DE excelsō throno glorię suę respicit Deus
super manducantes carnem filij sui; &
tanquam pupillam oculorū suorū custodit eos.

Oculis misericordiæ suę respicit eos semper;
& aures suas attentas habet ad preces eorum.

A morte æternaliberalat eos Altissimus; & in
domo sua præparat mansiones eorum.

Adiutor, & protector est epulantium in men-
sa sua; dum dignè accedunt ad manducandam
carnem filij sui.

Misericordiam suam nunquam auertit Do-
minus ab electis suis; quoniam ex toto corde
Christum filium suum venerantur in Sacramen-
to Altaris. Gloria Patri, &c.

C A N T I C V M IV. 54.

ACcedentes dignè ad cœnam Christi, omnes
illuminantur; propterea nunquam declin-
nant à via mandatorum eius.

Voluntatem manducantium carnem Christi
facit Deus; quoniam quæcunque appetentes

D 3 quæ-

quærunt accipiunt de manu eius.

Angelos suos mittit Dominus ad custodiendos sedentes in conuiuio mensæ suæ; & longè facit dæmones à domibus eorum.

Quàm suauem esse agnoscunt Dominū, manducantes carnem Christi; beati omnes, qui sentiunt dulcedinem eius.

Qui longè manent à mensa Christi, semper esuriunt; quoniam panis eius solus satiat esurientes. Gloria Patri, &c.

C A N T I C U M V. 55.

Qui sperat in Domino, & faciūt volūtatem eius, dignè excipiūt ad mēsam Christi, & delicijs Angelorum pascūtur in ea.

Plusquàm Sol meridianus in æstate coruscāt mētes dignè accedentium ad sacram Synaxim; Angeli enim fiūt māducātes carnē Christi in ea.

Diuitias éternas hæreditabunt omnes Christifideles carnem eius manducantes; quoniam cohæredes illius fiunt in mensa cœlorum.

Melius est semel dignè manducare carnem Christi; quàm assiduè manducare in mensis dominorum, & regum terræ.

Abominationem quàm magnā faciunt cibūs, & potus regum carnem Christi manducātibus; quoniam verus cibus, & potus est caro, & sanguis eius pretiosus. Gloria Patri, &c.

H Y M.

H Y M N V S.

Panis iste sanctus,
Angelorum cibus,
Plusquam melis fatus
Dulcis est gustanti.

Ex paterno venit,
Regalique sinu,
Ventrem illibatum
Mox Mariæ intrans.

Cibus ecce verus
Factus est æternus,
Solis Dei natis,
Hunc qui dignè edunt.

Deo cœli omnis
Laus, virtus, honor
Esto sempiternus
Semper iam viuenti. Amen.

V. Panem de cœlo præstisti nobis. Alleluia.

R. Omne delectamentū in se habentē. Alleluia.
Oremus.

Deus, qui carnem tuam nobis fidelibus tuis
in cibum, cœlum ascendens, reliquisti;
fac nos ita dignè illam manducare, ut cohære-
des tuos in regno Patris tui fieri mereamur.
Qui cum eodem Deo Patre, & Spiritu sancto
viuis, & regnas Deus in sœcula sœculorum.
Amen.

C A N T I C V M . I. 56.

TV Christe filius Dei viui dixisti Apostolis
tuis ; caro mea verè est cibus , & sanguis
meus verè est potus.

Ab ortu Solis usque ad occasum peruenit do-
ctrina tua ; & omnes habitantes orbem terræ
credentes prædicant eam .

In Ecclesijs fideles tui congregati te in Sa-
cramento venerantur ; post autem penitentiam
deuotissimè accedunt ad illud .

In cœlum mentes suas eleuantes contem-
plantur mysteria passionis tuę ; & pretium re-
demptionis inueniunt in eo .

Oculis Altissimi acceptabile semper fuit sa-
crificium istud ; quoniam tu teipsum offers in eo
diuinæ Maiestati suæ . Gloria Patri , &c .

C A N T I C V M . II. 57.

CArnem tuam , & sanguinem tuū sumimus
Domine ; dum manducamus , & bibimus
in mensa tua .

Esurientes , & sitiens reficit caro tua , & san-
guis tuus ; propterea sacerdotes , & plebs tua
fidelis nunquam discedunt à mensa tua .

Hoc sacrificium immolamus Altissimo in
cunctis necessitatibus nostris ; hoc enim solum
statim

statim placat iram indignationis suæ.

Deum Patrem, & te Verbum eius incarnatum, & Spiritum sanctum honorificamus, hunc panem manducantes; Mariam quoque, & omnes ciues cœlorum lætificamus.

Sacrificium laudis, & honoris, iustitiae, & gloriae offertur Maiestati Altissimi; dum sacerdotes, & fideles tui sedent in mensa tua. Gloria Patri, &c.

C A N T I C U M III. 58.

Plusquam nix dealbantur dignè epulantes
in mensa tua Domine; similes enim Angelis flunt in ea.

Propitio, ac sereno vultu respicis vescentes
pane mensæ tuæ; & nunquam ab eis auertis oculos tuos.

Corda manducantium carnem tuam tu Domine renouas semper; & viscera eorum igne amoris tui vehementer accendis.

Faciē benignitatis tuæ ostendis deuotè manducantibus carnem tuam; nec odio habuisti eos aliquando.

Spiritum sanctum tuum inhabitare facis in cordibus manducantium, & bibentium in mensa tua; propterea sæpè accedunt ad illam exstantes. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto. &c.

C A N-

C A N T I C V M I V . 59.

GRATIAM super gratiam præstas dignè man-
ducantibus carnem tuam Domine; par-
ticipes autem facis eos diuinitatis tuæ.

A peccato præseruas edentes panem mensę
tuæ; & in viam certam, & securam salutis diri-
gis gressus eorum.

Oculis benignitatis tuæ respicis offerentes
sacrificium istud; & aures tuas nunquam auer-
tis à precibus eorum.

Nihil acceptabilius Deo, quam hoc sacri-
ficium dignè oblatum, & sumptum; in hoc enim
Christus Deus, & homo offertur Altissimo.

Propterea omnes carnem Christi dignè man-
ducantes iustificat Dominus; & saluas facit ani-
mas eorum. Gloria Patri, &c.

C A N T I C V M V . 60.

GLORIANTUR Christifideles hoc Sacramētum
venerantes; quoniam certi sunt hoc satis
placere oculis Maiestati Altissimæ.

Propterea singulis diebus sacrum faciunt sa-
cerdotes; plebs autem fidelis cum illis carnem
Christi manducant exultantes.

Vt pupillam oculi sui diligit Deus veneran-
tes filium suum sub accidentibus panis, & vini;
quo-

quoniam fidem quam magnam respicit in cordibus eorum.

Tanquam electos suos in libro vitae scripsit Deus dignè manducantes carnem filij sui; ideo tanquam filios diligens, semper dilexit eos.

Æternam hæreditatem expectant de manu Dei dignè sedentes in cœna Domini; mercedem copiosam, & supereffluentem paravit eis Altissimus. Gloria Patri, &c.

HYMNS.

Istud tam maximum nos sacrificium
Deo offerimus nostro auxilium
Petentes filij ad suam dexteram.
Sedentis, dum affligimur.
Nihil nam sanctius, nihil ue melius
Offerri oculis potest Altissimi,
Quam sacrificium istud, quod Dominus
In cruce pendens obtulit.
Hinc suæ aperuit manus clementiae
Deus omnipotens, pius, ac sapiens
Dona charismatam nobis elargiens,
Cunctaque mala auferens.
Cunctorum Dominonos exercituum
Regi cœlestium sanctorum ciuium
Nostra iam supplices flectamus genua
Omnem cantantes gloriam. Amen.
¶. Panem de cœlo præstitisti nobis. Alleluia.
¶. Omne delectamentū in se habentē. Alleluia.
Ore-

Oremus.

OMnipotens æterne Deus, qui nobis tua pietate tam mirabile Sacramentum fontem vitæ æternæ continens, donare voluisti; fac nos, quæsumus, ita illud in terra venerari, ut eius aquam in cœlo bibentes, tecum in regno tuo in æternum vivere mereamur. Per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.

C A N T I C V M I. 61.

IN virtute corporis, & sanguinis tui Domine iustifica nos peccatores; in manducatione carnis tuæ sanctifica, & beatifica nos fideles tuos.

Orationes epulantium in mensa tua exaudi Domine; aures clementiæ tuæ aperi precibus eorum.

Aduersus dignè accedentes ad mensam tuam Diabolus, & Angeli eius insurgunt; & in fortitudine sua quærunt perdere animas nostras.

Auxiliare nobis vescientibus pane mensæ tuæ; fortitudinem autem dæmonum contere in virtute carnis tuæ.

Carnem tuam edentes, & sanguinem tuum bibentes te Deum, & hominem confitemur; quoniam ex omni tribulatione eripis credentes te manere in Sacramento Altaris. Gloria Patri, &c.

C A N-

C A N T I C V M II. 62.

PReces dignè manducantium carnem tuam non despicias Domine; sed illas in conspectu tuo intrantes, semper exaudis.

Pennas assumunt orationes sedentium in mensa tua; & velocius, quam Aquilæ volantes, ianuas cœli ingrediuntur.

Ad te clamamus Domine, pane Angelorum recreati; tu autem exaudiendo, consolaris nos fideles seruos tuos.

Vespere, mane, & meridie laudantes magnificamus te, edentes carnem tuam; & memoriam passionis tuæ facimus semper, & ubique.

In virtute carnis tuæ spem nostram ponimus, illam manducantes; tu autem non fraudas nos desiderio cordis nostri. Gloria Patri, &c.

C A N T I C V M III. 63.

CArnem tuam dignè manducantium miseris Domine; propterea dæmones non præualent aduersus eos.

Sedentes in mensa tua non timebunt manere in conspectu tuo in die iudicij; quoniam in te sperabunt, propter dignam manducationem carnis tuæ.

Fideles tui in mensa tua vegetati, fortes fiunt
ad-

aduersus persecutores suos; quin immo letantes patiuntur persecutiones eorum.

Lacrymas, & preces manducantium panem mensæ tuæ benignè respicis semper; & ianuas cœli ingressas semper exaudis eas.

Animas eorum de laqueo peccatorū ereptas custodis semper; & tanquam Solem coruscare facis eas in conspectu tuo. Gloria Patri, &c.

C A N T I C U M I V. 64.

SVb umbra alarum tuarum securi manent edentes carnem tuam Domine; & læti expectant nouissimum diem suum.

De cœlo mittit Altissimus auxilium suum dignè sedentibus in cœna sancta tua; quoniam ut pupillam oculorum tuorum diligit eos.

Deum viuum exaltat fideles edentes carnem tuam sanctam; propter hoc enim fides tua resonat per vniuersum orbem terrarum.

Apud omnes populos, & nationes terræ solemnitas huius Sacramenti deuotè celebratur; in hymnis, & canticis, in psalmis, & organis veneratur ubique.

Super cœlos exaltaris Domine ab Angelis, & ab omnibus virtutibus cœlorum; dum carnem tuam nos dignè manducamus in terra. Gloria Patri, &c.

CAN-

C A N T I C U M V. 65.

Verè vtique caro tua cibus est , & sanguis tuus pōtus; propterea tanquam aurum in fornace probati accedimus ad mensam tuam.

Aures suas claudant fideles tui consilijs Diaboli; dum à fide tanti Sacramenti eos declinare conantur.

Tu verò confortans eos, victores facis eos in bello ; dæmones autem confusos abire facis à conspectu eorum.

Lætantur omnes edentes carnem tuam , vistoriam portantes ab insidijs Diaboli; & gratias agunt Majestati Dei Altissimi.

Propterea in cordibus eorum desiderium maius accenditur comedendi carnem tuam ; maiori quoque contritione , & humilitate accēdunt ad eam. Gloria Patri, &c.

H Y M N V S.

Tu dignè manducantium
Carnem tuam sanctissimam
Auditum præstas precibus,
Quot petunt donans gratias.
Nam grandis pennis Aquilæ
Sumentes intrant ianuas
Cœlorum, atque rogitant
Tuam Deus clementiam.

Tu

Tu illis manus aperis

*Benignas, atque cœlicas,
Nec illas putas claudere,
Ostendens te quām diuitem.*

Tibi Pater, ac Filio,

*Sancto simul Spiritui
Omnis sit, & quām maxima
Aeterna quoque gloria. Amen.*

¶. Panem de cœlo præstisti nobis. Alleluia.

¶. Omne delectamentū in se habentē. Alleluia.

Oremus.

Deus, qui Ecclesiam tuam sanctissimæ Eucharistiæ Sacramento tua pietate munire dignatus es; præsta, quæsumus, ut eius virtute nos fideles tui recreati, ita fortes aduersus inimicos nostros fiamus, ut fructus eius & præsentes, & futuros consequi valeamus. Qui viuis, & regnas Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

C A N T I C U M I. 66.

Carnem tuam dignè manducantes tu Domine nūquam repulisti à sacra mensa tua; nec aduersus eos iratus es aliquando.

Verum, & dulcem æstimant sermonē tuum fideles tui; dum dicis, Qui manducat carnem meam, & bibit sanguinem meum, viuet in æternum.

Sub

SANCTISS. SACRAMENTI. 65

Sub speciebus panis, & vini carnem, & sanguinem tuum sumimus; non autem sub speciebus corporis tui.

Ad Hierusalem cœlestē deducis dignè manducantes carnem tuam; diademata regni tui ponis super capita eorum.

In manduca^tione carnis tuæ mirabilia faciūt fideles tui; seipso^s enim contemnunt, & mundū cum pompis eius. Gloria Patri, &c.

C A N T I G V M II. 67.

Tu ris fortitudinis est caro tua, & sanguis tuus sedentibus in mensa tua Domine; ideo contremiscunt dæmones videntes eos.

Tecum in æternum manebunt in regno tuo edentes, & bibentes in mensa tua; inebriabuntur ab vbertate deliciarum domus tuæ.

Quàm magna est hæreditas manducantium panem mensæ tuæ; quoniam tecum viuent in aula tua in æternum.

In conspectu tuo exultantes manebunt edentes panem tuum; lætitiam, & gaudium eorum quis vnquam enarrabit?

Dulces hymnos, & psalmos cantabunt nomini tuo cum Angelis in sæculum sæculi; nec aliquando cessabunt à laudibus tuis. Gloria Patri, &c.

E

C A N-

C A N T I C V M III. 68.

TAnquam fideles serui tui præcepta tua cu-
stodiunt sodales mensæ tuæ; quoniam vo-
luntates suas subijciunt volūtati Maiestatis tuæ.

Tu verò tāquam electos tuos custodis dignè
accedentes ad sacrum Conuiuum tuum; ideo
nunquam transgrediuntur mandata legis tuæ.

Pretioso sanguine tuo redempti sunt dignè
vescentes carne tua; propterea in protectione
tua manent usque ad mortem.

In te solo Deo viuo, & vero sperant edentes
carnem tuam; & mundi contemptores fiunt,
prægustata dulcedine eius.

Ad delicias cœlestis mensæ tuæ tu Deus ex-
pectas manducantes panem tuum; illic enim in
visione diuinitatis, & humanitatis tuæ satiabun-
tur in æternum. Gloria Patri, &c.

C A N T I C V M IV. 69.

MAnè diluculò surgentes præparant se fi-
deles tui; vt dignè accedant ad sacram
mensam tuam.

Tanquam esurientes, & sitientes satiandi fe-
stinant ad sacras ædes tuas; cibum enim vitæ
æternæ inueniunt in eis.

Ad pedes sacerdotum tuorum cordibus con-
tritis

eritis prosternunt se; cuncta peccata sua lacrymantes confitentur eis.

Tanquam misericordiam à te consecuti accedūt ad mensam Conuiuij tui; humiles tamen, & trementes vescuntur pane tuo.

Et quasi adipe, & pinguedine cœlesti repleti, ad cœlum eleuant mentes suas; & Altissimo gratias agentes, cum exultatione reuertuntur ad domos suas. Gloria Patri, &c.

C A N T I C V M V. 70.

A' Conuentu, & congregatione dæmonum eripis Domine manducantes panē mensæ tuæ; & exaudis eos clamantes ad te.

Accedētes ad mensam cœnæ tuæ Dñe de sede Altissimæ Maiestatis tuæ benignissimè respiciens; ad preces autem eorum inclinas aures tuas.

Quasi sagittæ acutæ sunt linguae manducantium carnem tuam aduersus dæmones; quoniā verba salutis exeunt de labijs eorum.

Propterea conturbantur, & cruciantur dæmones audientes sermones dignè manducantium panem tuum; & insidias quam magnas, & multas parant ad decipiendum eos.

Sed tu Dominus adiutor, & protector es comedentium, & bibentium in sacra mensa tua; nec derelinquis eos in tempore temptationis, & tribulationis eorum. Gloria Patri, &c.

H Y M N V S.

REgnit uidiadema,
Sceptraque perpetua
Cunctis dignè carnem tuam
Dabis manducantibus;
Tecum namque correagnabunt
Nouum usque seculum.
Nam ad illud elegisti
Ab eterno Domine
Tua quidem bonitate,
Solaque clementia
Carnem tuam manducantes,
Bibentesque sanguinem.

Generanti sit aeterna
Coæqualis Genito,
Ab utroque Procedenti
Laus, virtus, gloria,
Sitque honor, sitque decus,
Omneque imperium. Amen.

P. Panem de cœlo præstististi nobis. Alleluia.

R. Omne delectamentū in se habentē. Alleluia.

Oremus.

OMnipotens, & misericors Deus, qui nobis famulis tuis in verum cibum, & verum potum carnem tuam, & sanguinem tuum relinquere voluisti; fac, quæsumus, ita nos illum dignè manducare, & bibere, ut cœlestis mensæ

tuæ

SANCTISS. SACRAMENTI. 69

tuæ delicijs cum omnibus electis tuis in æternum perfaci mereamur. Qui viuis, & regnas Deus in sæcula sæculorum. Amen.

C A N T I C V M I. 71.

P Anem tuum omnis honor decet Domine;
quoniam caro tua, & sanguis tuus manet in eo.
Beati omnes, quos sedere facis in sancta mensa tua; carnem enim tuam manducant, & sanguinem tuum bibunt in ea.

Divitijs domus tuę reples sedentes in mensa cœnæ tuæ; propterea exultantes accedunt ad eam fideles tui.

Dulcedine panis tui inebriati electi tui non esuriunt, neque sitiunt amplius; quoniam sola caro tua satiare potest animas eorum.

Panem Angelorum, & fontem aquarum viventium parasti electis tuis Domine; & vbertate domus tuæ replebis dignè manducantes carnem tuam. Gloria Patri, &c.

C A N T I C V M II. 72.

E Xultantes tibi iubilant comedentes panem tuum Deus; & psallentes glorificant nomen Maiestatis tuæ.

Mirabilem prædicant te, qui reficiuntur in mensa tua; quoniam quam magnum, & quam

E. 3 bonum

bonum cognoscunt te in ea.

Etenim panis in carnem, & vinum in sanguinem conuertuntur in mensa altaris tui; dum sacerdotes dicunt, Hoc est corpus meum, & hic est calix sanguinis mei.

Sacras ædes tuas ingrediuntur ad confidendum corpus, & sanguinem tuum; & tanquam dignum holocaustum offerunt illud Altissimo.

Carnem tuam manducant, & sanguinem tuum bibunt in mensa tua; suavitatem, & libertatem quam magnam, & ineffabilem inueniunt in ea. Gloria Patri, &c.

C A N T I C U M III. 73.

Misericordiam quam magnam ostendis dignè māducantibus carnem tuā; & benedictionem copiosam descēdere facis super eos. Mentes sedentium in mensa tua illuminas Domine; nec errare facis eos aliquando.

Viam mandatorum tuorum doces edentes panem sacræ mensæ tuæ; ut sancte ambulent in conspectu tuo.

Te Deum verum, & hominem confitentur omnes comedentes panem mensæ tuæ; te in manibus omnium sacerdotum celebrantium esse credunt, & docent ubique.

Nomini sancto tuo benedicunt satiati in sacra mensa tua; & illud venerari non cessant aliquando. Gloria Patri, &c.

CAN-

CANTICVM IV. 74.

A' Facie dignè manducantium carnē tuam
Domine fugiunt Dæmones; quoniā non
magis cruciantur in inferno, quām vidētes eos
in mensa tua.

Fortitudo Diaboli, & Angelorū eius deficit
in conspectu sedentium in mensa tua Deus; &
quasi cera à calore ignis liquefiunt in virtute
carnis tuæ.

Fideles autē tui exultant epulantes in mensa
tua; & sacrificium laudis offerūt Maiestati tuæ.

In dulcedine magna parasti mensam conui-
uij tui electis tuis; propterea tanquam sitientes,
& leones esurientes currunt ad eam.

Mirabilia faciunt comedentes carnem tuam;
ad vitam enim mortuos vocant, cœcos illumina-
nt, & ægros reddunt in columnes. Gloria, &c.

CANTICVM V. 75.

Zelum domus tuæ quām magnum habent
epulantes in mensa tua Domine; propte-
rea Ecclesias magnificas ædificant Maiestati
tuæ, & satis exornant illas.

Psalmos, & hymnos decantant tibi bibentes
sanguinem tuum; quoniam potus illius lætitificat
corda, & viscera eorum.

In escam perpetuam dedisti carnem tuam,
electis tuis; & in potum æternum dedisti eis pre-
iosum sanguinem tuum.

Mensam Angelorum mensam hominū fecisti
Domine; quoniam Angeli solum, & homines tecū
habitabunt in domo tua in sæculum sæculi.

Cohæredes tuos fecisti epulantes in mensa
cœnæ tuæ; ideo cœlos ascendentes in æternum
collaudabūt nomen Maiestatis tuę. Gloria, &c.

H Y M N V S.

MEnsam Angelicam en mensam hominum
Te manducantium fecisti Domine;
Eandem etenim carnem, & sanguinem
Tuum sumunt sanctissimum.

Quam magnam continet iſus conuiuum,
Ac ineffabilem quidem dulcedinem
Christifidelium mentes iuebrians,
Illasque sanctas faciens.

Cœli diuitias promittis omnibus
Tua vescientibus carne sanctissima,
Tuumque sanguinem dignè bibentibus;
O magna viri dignitas.

Laudes ingenito Patri perpetuas,
Natoque genito, atque Paraclito
Sancto Spiritui soluamus maximo,
Omniisque cordis gaudio. Amen.

V. Panem de cœlo præstisti nobis. Alleluia.

R. Omne delectamentū in se habentē. Alleluia.

Ore-

Oremus.

Deus, qui Ecclesiam tuam per totū orbem terrarum diffusam, sanctissimi Eucharistiae Sacramenti perpetua solemnitate mirum in modum lētificare dignaris; fac nos, quæsumus, ita illud dignè venerari, ut quod in terris credentes celebramus, facie ad faciem in cœlis videre mereamur. Qui viuis, & regnas Deus in sœcula sœculorum. Amen.

C A N T I C U M I. 76.

Perpetuis laudibus replentur ora agentium Synaxim in Ecclesia tua; & gloriam quām magnam exultates cantant nomini sancto tuo.

Tu Deus non elongaris à dignè manducantibus carnem tuam; sed in auxilium eorum respicis semper.

Tribulationes multas, & assiduas patiuntur accedentes ad sanctam mensam tuam; ut in dies sanctiores fiant in conspectu tuo.

Tu autem Domine Deus tanquam electos tuos consolaris eos; ne vñquam longè fiant à mensa tua.

Propterea de die in diem multiplicantur fideles tui manducantes carnem tuam; & labijs exultationis gloriam decantant Altissimæ Majestati tuæ. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto, &c.

C A N-

C A N T I C V M . II. 77.

REges terre, & principes eorum diademata deponunt accedentes ad mensam conuiuij tui ; & tanquam Deum, & Redemptorem suum adorant te manentem in eo.

Humiles, & inermes manducant panem mensæ tuæ ; quoniam te Deum deorum , & Dominum dominantium credunt, & prædicant.

Diuites, & nobiles, pauperes , & serui edunt in mensa tua ; quoniam omnes redemisti preioso sanguine tuo .

Panem Angelorum credunt se manducare, sedentes in mensa tua ; propterea veste nuptiali , & Angelica accedere conantur ad eam .

Gloria Altissimæ Maiestatis tuæ cœlum, & terra replentur ; dum carnem tuam dignè manducant fideles serui tui . Gloria Patri, &c.

C A N T I C V M . III. 78.

QVAM bonus , & quam clemens es tu Domine Deus noster in omnes ; qui mundo corde manducant panem sacræ mensæ tuæ .

Ab omni peccato longè fiunt refecti cibo mensæ tuæ ; caro enim tua sanctos facit dignè manducantes eam .

Plus-

Plusquam in scholis sapientes fiunt sedentes
in mensa tua; timorem etenim, & amorem tuum
discunt in ea.

Nihil in terra querunt gaudiates dulcedinem
panis mensae tuae; sed quae sursum sunt, non que
super terram.

Quoniam adhaerentes mensae conuiuij tui
membra fiunt corporis tui; & tibi soli placere
conantur in omnibus operibus suis. Gloria
Patri, &c.

C A N T I C V M IV. 79.

Dexteram tuam Domine nunquam auertis
de medio manducantium panem tuum;
quoniam die, ac nocte manent iuxta te Domi-
num Deum suum.

Ab aeterno in filios tuos elegisti dignè epu-
lantes in mensa tua; propterea nunquam ab illis
elongas auxilium dexteræ tuæ.

Animas sedentium in mensa conuiuij tui nun-
quam oblitus es Domine; nec tradidisti eas in
manibus inimicorum suorum.

Oculis misericordiae tuæ respicis edentes car-
nem tuam; auribus autem pietatis tuæ audis pre-
ces eorum.

Ex toto corde collaudant te sodales mensæ
tuæ; post autem gratiarum actiones exultantes
surgunt ab ea. Gloria Patri, &c.

CAN-

C A N T I C U M V. 80.

TE Deum, & Dominum nostrum confite-
mūr epulantes in cœna sacra tua; & col-
laudantes inuocamus nomen sanctum tuum.

Te mirabilem prædicamus in manducatio-
ne carnis tuæ; quoniam panis in carnem, & vi-
num in sanguinem transit in Altari tuo.

Quasi cera liquefiunt viscera vescentium pa-
ne tuo; dum in meditatione illius ponunt præ-
cordia sua electi tui.

Nos ipsos exinanimus accedentes ad sacram
cœnam tuam; carnem enim tuam, & sanguinem
tuum gustare credimus in ea.

Carnem tuam sub speciebus panis manducan-
tes sanguinem quoque tuum bibere confitemur;
sanguinem autem tuum sub speciebus vini bi-
bentes, carnem quoque manducare credimus
indubitanter. Gloria Patri, &c.

H Y M N V S.

Cœlum cœli, orbis terræ
Magna Deus gloria
Coruscare iam videntur,
Dum fideles comedunt
Dulcem tuæ mensæ panem,
Tu umbibunt sanguinem.

Ange-

Angelorum omnis ordo

Collaudantes resonant,

Dulces hymnos, atque psalmos

Incessanter personant,

Iustorumque chorus almus

Sanctis cum virginibus.

Deum trinum collaudemus,

Atque indiuiduum,

Qui iam felix semper vixit

Ante mundi fabricam,

Quique illam solus regit

Cunctis esse tribuens. Amen.

¶. Panem de cœlo præstisti nobis. Alleluia.

¶. Omne delectamentū in se habentē. Alleluia.

Oremus.

Corporis, & sanguinis tui Domine nos fit
deles tuos solemnia celebrātes oculis mi-
sericordiæ tuæ respicere digneris, vt, te prote-
gente, ita sancte illa celebremus, vt & fidem, &
deuotionem illius ad omnes populos, & natio-
nes peruenire videamus in dies. Qui viuis, &
regnas Deus in sæcula sæculorum. Amen.

C A N T I C V M . I. 81.

QVAM valde magnificatur nomen tuum.
Deus à dignè manducantibus carnem
filij tui; propter hoc enim multi con-
uertuntur ad fidem tuam.

In

In pace perpetua viuunt comedētes panem
mensæ filij tui; quoniam confortas eos in tribu-
lationibus suis.

Arcum, scutum, gladium, & omnia arma Dia-
boli confringunt sedentes in mensa Vnigeniti
tui; quoniam fortiores, quàm dæmones, fiunt in
manducatione carnis eius.

De excelsō throno gloriæ tuæ auxilium ma-
gnum descendit super omnes; qui manducant,
& bibunt in mensa dilecti filij tui.

Propterea terribiles, & formidabiles fiunt
Diabolo, & Angelis eius omnes; qui epulantur
cū Christo in sancta mēsa eius. Gloria Patri, &c.

C A N T I C U M II. 82.

VOCEM manducantium panem mensę tuæ
libenter audis Domine; quoniam fides
eorum glorificat Maiestatem tuam apud om-
nes gentes.

Manducantes carnem tuam manus suas ad
te eleuāt in tribulationibus suis; tu autē semper
consolaris eos tanquam fideles seruos tuos.

Misericordiam tuam nunquam longè facis
ab epulantibus in cœna tua; quoniam tanquam
charissimos amicos tuos diligis eos.

Cum vescentibus pane tuo libenter habitas
tu Dominus; domum enim tuam fecisti animas
eorum.

Tan-

Tanquam oves tuas per vias rectas deducis
fodales mensæ tuæ; ne Diabolus tollat eas de
manibus tuis. Gloria Patri, &c.

C A N T I C U M . III. 83.

IN lege tua meditantur die, ac nocte come-
dentes panem sanctum tuum; nec vñquam
obliuiscuntur sancta consilia tua.

Spem suam in te ponunt dignè epulantes in
mensa tua Domine; quoniam te summum bo-
num nouerunt in mandatione carnis tuæ.

Propterea nunquam obliuiscuntur accedere
ad conuiuum cœnæ tuæ; nec vñquam longè
fiunt à sancta lege tua.

Dulcedinem panis tui cognoscunt dignè se-
dentes in mensa sancta tua; ideo quasi esurien-
tes sæpe accedunt ad illam.

Omnibus gentibus, & populis orbis terre pa-
rasti mensam tuam, vt venientes læti mandu-
cent, & bibant tecum in ea. Gloria Patri, &c.

C A N T I C U M . IV. 84.

Pane cœlesti satiantur electi tui manducan-
tes carnem tuam; tu enim Domine dixisti,
Ego sum panis viuus, qui de cœlo descendii.

Mensam cœlestē parasti dilectis tuis in terra;
vt beatificares eos in æternum in regno tuo.

Pro-

Propterea gratiam super gratiam præstas dignè manducantibus panem mensæ tuæ; ut ex sanctis sanctiores fiant in conspectu tuo.

Carnem tuam manducantes, non fraudantur à desiderio cordis sui; quoniam plusquam petunt, & appetunt, accipiunt de manibus tuis.

Carne tua Domine pascis electos tuos, & sanguine tuo potas eos; & nunquam de mensa tua expellis eos. Gloria Patri, &c.

C A N T I C U M V. 85.

A Eternam hæreditatem tuam præparasti epulantibus in mensa tua Domine; quoniam ab æterno in filios tuos elegisti eos.

Sanguine tuo pretioso redemisti dignè accedentes ad cœnam tuam; propterea sanguine quoque tuo sub speciebus vini potas eos.

Propitius es semper, & ubique comedentibus panem tuum; & de die in diem iustificas eos.

In conspectu tuo ascendunt orationes dignè epulantium in mensa tua; tu autem tanquam benignus, & clemens semper exaudis preces eorum.

Tanquam oves tuas pascis fideles pane tuo Domine; ipsi vero vocem tuā audiētes, semper faciunt voluntatem Maiestatis tuæ. Gloria, &c.

H Y M.

HYMNUS.

DE throno gloriæ tuæ quam maximum
Mittis auxilium dignè sumentibus
Corpus, & sanguinem tuum sanctissimum,
Nam satis eos diligis.

Sciunt iam dæmones sub accidentibus
Panis existere carnem Dominicam,
Eiusque sanguinem pretiosissimum,
Cibum tantum fidelium.

Exinde dæmones trementes fugiunt
Illorum faciem, utque famelici
Leones rugiunt, parare quæritant
Nouas illis insidias.

Cœlorum Domino, & exercituum
Sit iubilatio, ac benedictio,
Simul & unica, trinaque gloria
Per cuncta semper sæcula. Amen.

¶. Panem de cœlo præstisti nobis. Alleluia.

¶. Omne delectamentū in se habentē. Alleluia.
Oremus.

Deus, quem non solum essentialiter, presen-
tialiter, & potentialiter ubique manere
credimus, & fatemur; sed nobiscū etiam sacra-
mentaliter, & virtualiter; fac, quæsumus, ita nos
hoc sanctissimū Eucharistiæ Sacramentum ve-
nerari, ut te gloriosū videre mereamur in celis.
Qui viuis, & regnas Deus in sæculorum.
Amen.

C A N T I C V M I. 86.

PAnem lacrymarum manducamus Domine
antequam accedamus ad mensam tuam; ut
digne manducemus carnem tuam.

Faciem benignitatis tuæ ostendis dignè se-
dentibus in cœna tua; & in hora mortis non de-
relinquise eos.

Tanquam dux itineris per vias salutis ducis
epulantes in mensa tua; ne forte ad lapidem
offendant pedes suos.

Sæpè tu Domine visitas comedētes carnem
tuam; quoniam ut pupillam oculorum tuorum
ab æterno dilexisti eos.

Mentes comedentium in mensa conuiuij tui
semper illuminas; & Spiritum sanctum tuum
inhabitare facis semper in eis. Gloria Patri, &c.

C A N T I C V M II. 87.

EXultantes collaudamus te Domine in men-
sa tua recreati; inebriati autem honorifi-
camus te filium Dei Altissimi.

Psalmos, & hymnos in cythara cantamus ti-
bi sedentes in mensa tua; quoniam sacrificium
laudis offerri decet in ea post mandationem
carnis tuæ.

In omni tribulatione tu Dominus consolaris
digne

dignè sedentes in cœna sancta tua; & tanquam aurum in fornace probas eos.

Deus manducantium carnem tuam es tu Domine; ipsi autem cohæredes tui, & filij Patris Altissimi.

Propterea ex adipे frumenti cibas eos in sacra mensa tua; & vino meraçissimo potas illos in ea. Gloria Patri, &c.

C A N T I C U M III. 88.

IN medio epulantium in mensa tua gloriaris Domine; propterea nūquā tu discedis ab eis.

Viam peccatorum odio habent sedentes tecum in sacra mensa tua; veruntamen preces effundunt tibi pro conuersione illorum.

Quàm multos peccatores iustificas Domine precibus epulantiu in mensa tua; quàm multos de manu dæmonis eripis, saluos faciens eos.

Deos, & filios Excelsi vocas vescentes carne tua; & principes regni tui ab æterno constitui- sti eos.

In æterna memoria tua scripsisti omnes dignè manducantes panem mensæ tuæ; & in illis tanquam electis tuis habitans, hæreditabis in æternum. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto. &c.

Si miles tibi fiunt Domine manducantes car-
nem tuam; quoniam membra corporis tui
fiunt in manducazione panis tui.

Propterea dæmones odio habent sodales
mensæ tuæ; & laqueos quam multos parant pe-
dibus eorum.

Sæpè etenim simul congregantur dæmones
aduersus electos tuos; quoniam dignè tecum
epulantur in cœna mensæ tuæ.

Hæreditatem regni tui possidebunt vescen-
tes pane tuo; propterea Diabolus cum Angelis
suis insurgit aduersus eos.

Te solum Deum verum, & hominem confi-
tentur epulantes in mensa Apostolorum tuo-
rum; te Patri coæqualem, & consubstantialem
credentes prædicant ubique. Gloria Patri, &c.

Regnum tuum quam gloriosum præparasti
dignè sumentibus panem ex altari tuo
Domine; domos enim illorum fecisti æterna
tabernacula tua.

Corda fideliorum tuorum satis exultant in
manducazione carnis tuæ; interiora enim illo-
rum quasi in fornace calefiunt in mensa tua.

Beati

Beati omnes, qui Ecclesias tuas ingrediētes,
ad mensas illarum accedunt; & tecum dignè
epulantur in illis.

Te Deum, & Dominum exercituum confi-
tentur hoc Sacramentum venerantes; humani-
tas enim tua, & diuinitas tua simul manēt in eo.

Propterea melius est semel sedere tecum in
mensa tua Domine; quām millies in mensa do-
minorum, & regum terræ. Gloria Patri, &
Filio, &c.

H Y M N V S.

MEnsam suam Christus,
Atque Angelorum
Ex amore grandi
Præparauit nobis.
In qua carnem suam
Manducandam dedit
Dira crucis morte
Emptis iam electis.
O fœlices omnes,
Qui ad illam dignè,
Sanctèque accedunt,
Nam cœlestes fiunt.
Vna est laus,
Atque trina Deo,
Qui solus est rector
Orbis utriusque. Amen.

¶. Panem de cœlo præstisti nobis. Alleluia.

¶. Omne delectamentū in se habentē. Alleluia.

Oremus.

COncede nos famulos tuos, quæsumus Domine Deus, ita carnem tuam dignè manducare, & sanguinem tuum bibere, ut omnis rerum temporalium & fames, & sitis in nobis penitus extinguiatur. Qui viuis, & regnas Deus in saecula saeculorum. Amen.

C A N T I C U M I. 91.

AB æterno Domine benedixisti manducantes carnem tuam; quoniam ab æterno elegisti eos in filios tuos.

Peccant aliquando sodales mensæ tuæ Domine, tu vero mox ad pœnitentiam vocas eos.

Non enim in æternum irasceris electis tuis manducantibus carnem tuam; quoniam nomina eorum scripta sunt in libro vitæ.

Vocem tuam audiunt, dum loqueris ad vescentes in sacra mensa tua; quoniam tanquam oves tuæ facile audiunt te Pastorem, & ducem suum.

In tempore opportuno iustificas epulantes in mensa tua; & in viam salutis diriges gressus eorum. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto. &c.

C A N-

C A N T I C V M II. 92.

AVRES deitatis tuæ aperis omnibus dignè
epulantibus in cœna tua; ideo exultantes
accedunt ad eam.

Animas eorum custodis, & saluas facis illas;
quoniam credentes, & trementes manducant
panem altaris tui.

Quàm suavis, & benignus, & misericors es
omnibus vescientibus carne tua; quoniam te
Deum, & hominem confitentur vñanimes.

Tu Domine clemens, & pius respicis dignè
comedentes panem tuum; & tanquam filios Ec-
clesiæ tuæ protegis eos.

Signum electionis æternæ est assidua, & di-
gna māducatio carnis tuę; etenim pignus æter-
næ gloriæ datur epulantibus in mensa tua.
Gloria Patri, &c.

C A N T I C V M III. 93.

SIc ut pupillam oculi sui diligit Deus dignè
manducantes carnem filij sui; & in cœlis
posuit mansiones eorum.

Sedes gloriofas, & æternas præparauit in re-
gno suo cunctis electis suis; qui sanctè sedent in
cœna filij sui.

Memor est Dominus humiliter sedentium in

F 4 mensa

mensa Christi sui; ideo super astra cœli exaltabit eos.

Tanquam firmam petram stabiliuit Dominus fidem epulantium in mensa Vnigeniti sui; propterea dæmones nūnquam præualuerunt aduersus eos.

In terra viuentium habitabunt sodales mensæ Christi; & copiosa erit apud Deum merces eorum. Gloria Patri, &c.

C A N T I C U M IV. 94.

Misericordiam Dei quām magnam cantabunt in æternum omnes electi; quoniam digni habitisunt sedere in mensa eius.

A' generatione in generatione annuciabūt virtutem carnis Christi; omnes qui tanquam Apostoli sedent in conuiuio eius.

Dominus autem in cœlo statuit mercedem suam dignè vescentibus carne sua; & inter principes regni sui collocabit eos.

Inter Angelos mansiones eorum ædificauit Dominus; ut beativiuant cum illis in æternum.

Gloriam, & beatitudinem dignè manducantium carnem filij Altissimi quis enarrabit? etenim regnum cœlorum possidebunt in sæculum sæculi. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto. &c.

C A N T I C V M V. 95.

Refugium factus es Domine fidelibus tuis
in tribulationibus suis; quoniam dignè
accedunt ad mensam conuiuij tui.

Dies æternitatis tuæ videbunt edentes panem
sanctum tuum; propterea tecum in æternum
viuent gloriosi in regno tuo.

Dies breues viuere desiderat, qui reficiuntur
in mensa tua; non enim viuere, sed mori se pu-
tant, viuentes in terra.

Labor, & dolor quam magnus est vita homi-
nis ex utero usque ad obitum; edentes autem
carnem tuam beati viuent in perpetuum.

Propterea exultantes expectant transitum
suum; tunc enim tecum vitam æternam possi-
debunt. Gloria Patri, &c.

H Y M N V S.

Huius mensæ dulcis panis
Mentes nostras reficit,
Contra hostes fortis facit,
Illos nobis subiicit,
Vnde dignè manducantes
Valde timent dæmones.
Viam nobis rectam monstrat
Ascendendi aeterna,

Anfert

*Aufert quoque, quamuis graues,
 Culpas, donans gratiam,
 Omnem sèpè tollit pœnam
 Pro peccatis debitam.
 Patri, Nato, Procedenti
 Ab utroque gloria,
 Esto laudis sempiterna,
 Honor, benedictio,
 Qui trinus, ac unus viuit
 Per immensa sæcula. Amen.*
V. Panem de cœlo præstisti nobis. Alleluia.
R. Omne delectamentū in se habentē. Alleluia.
 Oremus.

PRÆSTA, quæsumus, omnipotens Deus, vt si-
 cut nos fideles tuos carnem tuam mandu-
 care, & sanguinem tuam bibere præcipis, ita
 sancte, & dignè manducemus, & bibamus, vt
 eius virtute refecti, & muniti, quidquid tuæ Ma-
 iestati placitum est, rectè semper exequamur.
 Qui viuis, & regnas Deus in sæcula sæculorum.
 Amen.

C A N T I C U M I. 96.

IN protectione Dei Altissimi sunt epulantes
 in mensa Christi; propterea nec Diabolum,
 nec Angelos eius timere possunt aliquando.
 Scuto gratiæ cœlestis circundat Dominus
 dignè vescentes pane mensæ suæ; propterea
 nec

nec die, nec nocte, nec vnquam malum appro-
pinquat tabernaculis eorum.

Ab vtero matrum suarum constituit Domi-
nus Angelos manducantibus carnem filij sui ;
ne vnquam transgrediantur legem suam.

Carnē Christi dignè manducantes, nunquam
derelinquit Dominus tempore tribulationis ;
quoniam cum illis manens manebit usque ad
mortem.

Beati viuent carne Christi deuotè refecti; hoc
enim promisit ipse epulantibus in mensa sua .
Gloria Patri, &c.

C A N T I C U M II. 97.

QVAM bonum est fidelibus carnem Christi
manducare, & sanguinem eius bibere ;
quoniam in ipsos benignè respicit
Altissimus.

Misericordiam Dei quam magnam annun-
ciant dignè sedentes in mensa eius ; quoniam
veniam peccatorum inueniunt in ea.

Insipientes , & peccatores virtutem panis
Christi non nouerunt; propterea irridētes con-
temnunt epulantes in mensa eius.

Exultant, & letantur eleēti Dei in manduca-
tione carnis Christi; quoniam mensa eius, mensa
voluptatis est, & uertatis magnæ.

Sicut palma florescunt, & sicut cedrus mul-
tipli-

tiplicantur in domo Dei, epulantes cum Christo; in cœlo autem glorificantur in æternum. Gloria Patri, &c.

C A N T I C V M III. 98.

Gloria indutus habitat Dominus cum dignè epulantibus in mensa sua; ut glorificet eos in regno suo.

Sedes æternæ gloriæ parauit Dominus manducantibus carnem sanctam suam; propterea ipsi exultantes expectant foelicem transitum suum.

Mentes suas ad cœlum eleuant manducantes in mensa Christi; & cum Angelis est semper conuersatio eorum.

Quam multæ, & assiduæ sunt tribulationes epulantium cum Christo; veruntamen nunquā cadunt à iustitia sua.

Quoniam pane eius recreati, nunquā obliuiscuntur præcepta Dei; quin immo fortiores fiunt in mandatione carnis eius. Gloria Patri, &c.

C A N T I C V M IV. 99.

AEternam retributionem dabit Dominus sodalibus mensæ suæ; cum Angelis enim suis exaltabit eos in regno suo.

Illic exultabunt vescentes carne Christi; & Deum trinum, & vnum magnificabunt in seculum sæculi.

Viam

Viam salutis æternæ ostendit Dominus ve-
nerantibus corpus suum sub speciebus panis, &
vini; & vitam æternam promittit eis.

Epulantes in mensa sua non repellit Domi-
nus; & tanquam cohæredes suos nunquam de-
relinquit eos.

Refugium enim perpetuum factus est Domi-
nus manducantium carnem suam; & ab æterno
hæreditatem suam præparauit eis. Gloria Pa-
tri, & Filio, & Spiritui sancto. &c.

C A N T I C U M V. 100.

Exultantes veniunt ad templum Dei Christi
fideles; ut in mensa eius refecti, vitam æter-
nam inueniant apud eum.

In psalmis, & hymnis laudes eternas cantant
Altissimo; quoniam gratia, & fortitudine re-
plentur in mensa eius.

Plorantes, & genua flectentes veniunt ad cœ-
nam Domini fideles eius; propterea iusti sunt
manducantes in ea.

Tanquam oves suas respicit Dominus come-
dentes carnem suam; nec unquam à mensa sua
repellit eos.

Viam ascendendi in cœlum agnoscunt dignè
epulantes in mensa Christi; propterea requiem
æternam inueniunt apud eum in cœlo. Gloria
Patri, &c.

H Y M -

H Y M N V S.

Christi carne vescientibus
 Semper adest Altissimus,
 Ab omni illos liberans
 Incursu cacodæmonum.
Custodes illis Angelos
 A` ventre matrum statuit,
 In cunctis ut custodiant
 Vijs, atque operibus
 Saluos ut illos faciant,
 Ad sedes ducant coelicas
 Cum ipsis inter Seraphim
 Beati viuant perpetes.
De reddamus gratias,
 Quastenemur, perpetuas,
 Qui nobis suam tradidit
 Carnem, suumque sanguinem. Amen.

¶. Panem de cœlo præstisti nobis. Alleluia.
 ¶. Omne delectamentū in se habentē. Alleluia.

Oremus.

Tum nobis, quæsumus Domine, fidelibus
 tuis de cœlo auxilium mittere digneris, vt
 tantam sanctissimo Altaris Sacramento venera-
 tionem exhibeamus, vt hereditatē à Patre nobis
 paratā securi capere valeamus. Qui cum eodem
 Deo Patre, & Spiritu sancto viuis, & regnas
 Deus per omnia saecula saeculorum. Amen.

C A N-

CANTICVM I. 101.

Canticum nouum cantant Altissimo omnes dignè epulantes in mensa eius ; quoniam simplices quam sapientes fiunt in ea .

Opera Dei mirabilia enarrant dignè manducantes panem Christi ; gloriā enim , & magnificientiam eius docent filios suos .

Gloriam , & honorem offerunt Maiestati Altissimi ; qui dignè accedunt ad mensam sanctam eius .

Angeli , & omnes Potestates cœlorum exultant , & letantur videntes nos dignè sedentes in mensa Christi ; propterea laudes perpetuas cantant Domino Deo nostro .

Epulantes quoque in mensa Domini exultantes diem festum agent in cœlo ; & beati vivent apud eum in æternum . Gloria Patri , &c.

CANTICVM II. 102.

Regnum Dei fiunt omnes edentes in cœna Christi ; quoniam in æternum regnans regnabit in eis in regno cœlorum .

Populus Dei electus sunt manducantes carnem Christi ; propterea ciues , & domesticos suos fecit eos Dominus .

Solus Deus , qui cuncta ex nihilo creauit , domina-

minatur epulantibus in mensa Domini; & tanquam fideles suos regit, & nutrit eos.

De manu dæmonis ab æterno eripuit Dominus omnes; qui deuotè accedunt ad mensam sanctam suam.

Qui carnem Christi dignè manducant, & sanguinem eius bibunt; beati viuent in æternum, videntes efficiam eius. Gloria Patri, &c.

C A N T I C U M V. 103.

DUlces hymnos, & psalmos cantant Deo in mensa Christi refecti; nec vñquam cessant laudare potentiam, & sapientiam eius.

Iustum, & clementem prædicant Dominum manducantes carnem eius; ideo diligentes timent eum, & timentes diligunt Majestatem eius.

In iubilatione laudat Deum Redemptorem suum epulantes in cœna eius; quoniam pane mensæ suæ dignos fecit eos.

In psalterio, & cythara fideles collaudant Deum in mensa eius recreati; & in conspectu Angelorum glorificant eum.

In conspectu Dei Altissimi exultabunt epulantes in mensa eius; quoniam in conspectu gentium credentes tantum Sacramentum venerantur. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto. &c.

C A N-

C A N T I C V M . IV. 104.

Cum Angelis, & Archangelis, cum Cherubim, & Seraphim sedebunt in cœlo; qui nunc dignè sedent in mensa Domini.

Propterea sanctitatem quām magnam exquirit manducatio carnis eius; & potus sanguinis eius pretiosi.

Moyses, & Aaron sacerdotes Altissimi carnem Christi non manducauerunt; sicut nunc sacerdotes, & plebs Christifidelis.

Propitius, & clemēs est Dominus ad audiendas preces sedentium in mensa sua; quoniā dulcius, quām cythara resonat auribus eius oratio eorum.

Dominum exercituum honorificant edentes panem Ecclesiæ; sacrificium enim iustitiæ, laudis, & honoris offertur in mēsa eius. Gloria, &c.

C A N T I C V M . V. 105.

IUbilantes, & lætantes seruiunt Deo, qui epulantur in mensa eius; conuiuium enim gaudij est, non autem luctus.

Cum exultatione ingrediuntur fideles mensam Domini; gaudio autem quām magno egrediuntur ab ea.

Quoniā sanctiores, quām ingressi sunt, egrediuntur
G

diuntur à cœna Domini ; promptiores quoque
fiunt ad seruiendum Deo suo.

In hymnis, & canticis collaudat Altissimum,
panem accipientes de mensa eius ; & in viam
mandatorum eius dirigunt gressus suos.

Propterea quām suauem, & misericordem
ostendit se Dominus epulantibus in mensa sua,
& tāquā filios suos diligit eos. Gloria Patri, &c.

H Y M N V S.

Christi mensam exultantes
Sacram nos ingredimur
Dulces hymnos, dulces psalmos
Cantantes Altissimo,
Ipsum namque quām benignum,
Quām clementem nouimus.
Carnem eius gloriosem
Panis accidentibus
Iam velatum, pretiosum
Gustamus & sanguinem,
Tantum unde Sacmentum
Totum nutrit hominem.
Cibum nostrum fecit illud
Natus Dei Altissimi,
Cobæredes utque suos
Sempiternos faceret,
Angelorum inter choros
Collocaret fulgidos.

Trino

*Trino Deo, atque vni,
Natoque ex Virgine
Laus, honor sempiternus,
Omnis quoque gloria
Sit è cœlo, terra, ponto,
Ac à cunctis gentibus. Amen.*

V. Panem de cœlo præstisti nobis. Alleluia.
R. Omne delectamentū in se habentē. Alleluia.

Oremus.

Concede, quæsumus, clementissime Domine populum Christianum ita sanctè, ac devote tantum Sacramentum venerari, ut de futuræ gloriæ præmio à te sibi promisso se certum facere valeat. Qui viuis, & regnas Deus in sæcula sæculorum. Amen.

C A N T I C V M I. 106.

Deo Altissimo iubilent, & in letitia seruant ei omnes; qui epulantur in mensa eius.

Exultantes intrent in Ecclesiam Dei nostri manducantes in mensa eius; quoniam Pater, & Filius, & Spiritus sanctus adorantur in ea.

Sciat vterque orbis terræ totas tres personas Trinitatis concomitanter manere sub speciebus panis, & vini; non solùm carnem, & sanguinem Christi, & animam eius.

Collaudantes ingreduntur domum Dei Christifideles Synaxim facturi; vt dignè man-

G 2 ducent

ducent carnem eius.

Nomen Domini benedicunt gratias agentes Altissimo; quoniam dulcedinem carnis Christi sentiūt comedētes panē eius. Gloria Patri, &c.

C A N T I C U M II. 107.

PErpetuas laudes cantant Domino epulantes cum Christo; seipsoſ autem immaculatos custodiunt propter eum.

Iniquitatem non respiciunt oculi manducantium in mensa Domini; quin immō odio habent facientes iniustitiam.

Superbos, & omnes peccatores à mensa sua repellit Dominus; humilibus enim, & pœnitentibus paravit illam.

Dignè epulantes in mensa sua respicit Dominus; & immaculatos custodit sacerdotes recte distribuentes panem suum.

Humiles intrant Ecclesiam Dei Christifideles, vt manducent carnem eius; propterea lætantes manent in mensa sancta eius. Gloria Patri, &c.

C A N T I C U M III. 108.

NUnquam irascitur Dominus aduersus dignè manducentes carnem suam; & ab omnibus tribulationibus eorum liberat eos.

Velo-

SANCTISS. SACRAMENTI. 101

Velociter exaudit Dominus dignè epulan-
tes in sacra mensa sua ; nūquam enim aures suas
claudit precibus eorum.

Solitudinem quærunt fideles post manduca-
tionem carnis Christi; vt mentes suas eleuantes
cum Angelis conuersentur in cœlis.

Domum suam præparauit Dominus electis
suis; vbi deuotè manducent carnem filij sui , &
sanguinem eius bibant exultantes.

Ab æterno elegit Dominus fideles suos di-
gnè comedentes panem mensæ suæ ; & in re-
gno suo posuit perpetuas mansiones eorum .
Gloria Patri, &c.

C A N T I C U M IV. 109.

EX toto corde nomen Domini benedicunt
sedentes in mensa eius ; nec vnquam obli-
uiscuntur laudare Maiestatem suam.

Die , ac nocte propitiatur Dominus epulan-
tibus in sacra mensa sua ; ne decepti à Diabolo
cadant à iustitia sua .

De interitu mortis æternæ eripit Dominus
fodales mensæ suæ ; quoniam pretio sanguinis
sui redemit eos .

Sicut Aquilæ renouabit Dominus iuuentu-
tem dignè manducantium carnem suam ; &
velocius , quam Aquila volantes ascendent in
cœlum .

Delicijs æternis replebit Dominus vescen-
tes in sacro conuiuio suo ; in libertate domus
suæ satiabit eos in sæculum sæculi. Gloria
Patri, &c.

C A N T I C V M V. 110.

Non in perpetuum irascitur Dominus ad-
uersus manducantes panem mensæ suæ ;
quoniam nomina eorum nunquam delentur de
libro vitae.

Longè erit maledictio Christi à dignè man-
ducantibus carnem eius ; sed benedictio eius
æterna cadet super eos .

Quemadmodum miseretur pater filiorum
suum ; ita miseretur Dominus epulantium in
sancta mensa sua .

Ab æterno misertus est Dominus dignè se-
dentium in mensa sacræ cœnæ suæ ; quoniam
ab æterno quoque elegit eos in hæreditatem
suam .

In cœlo parauit Deus sedes dignè ingredien-
tium ad cœnam mensæ suæ ; ut cum Angelis bea-
ti viuant in æternum . Gloria Patri , & Filio ,
& Spiritui sancto . Sicut erat in principio , &
& nunc , & semper , & in sæcula sæculorum .
Amen .

H Y M-

H Y M N V S.

Hac in mensa sacra solum
 Epulantur Angeli,
 Fidelesque Christi quoque
 Sedent licet pauperes;
 Illos namque ab æterno
 Dignos fecit Dominus.
 Impollutas seruent mentes,
 Munda cordis intima,
 Sermonesque sanctos cunctis
 Imitandos proferant
 Hanc ad cœnam accedentes
 Plebs Christi catholica.

Christum Deum adoremus,
 Atque verum hominem,
 Qui felix semper viuens
 Ante mundi fabricam
 Hoc in pane ecce manet
 Cunctis esse tribuens. Amen.

¶. Panem de cœlo præstisti nobis. Alleluia.
 Rx. Omne delectamentū in se habentē. Alleluia.
 Oremus.

PRÆSTA, quæsumus omnipotens Deus, ut si-
 cut mensam Angelorum nostram quoque
 facere voluisti, ita nos dignè in illa epulari, ut cū
 ipsis in cœlesti sedere, manducare, & bibere me-
 reamur in æternum. Qui viuis, & regnas &c.

C A N T I C V M I. III.

TIbi Domine confitemur, & nomen sanctū tuum inuocamus in manducazione carnis tuæ; & coram omnibus gentibus annunciamus hoc opus redēptionis nostræ.

Lætantes laudamus te pane mensæ tuæ replete; & psalmos cantamus nomini sancto tuo.

Te Deum nostrum inuenire speramus, dum epulamur in mensa tua; quoniam in illa manet diuinitas, & gloria humāitas tua.

Passionis tuæ recordamur Domine edentes carnem tuam; & bibentes pretiosum sanguinem tuum.

Electos tuos ab æterno futuros præuidisti dignè manducantes panem cœnæ tuæ; propterea ut pupillam oculorum tuorū custodis eos semper. Gloria Patri, &c.

C A N T I C V M II. 112.

Discedant à nobis Diabolus, & Angeli eius; quoniam sodales fideles sumus mensæ tuæ.

Firmamentum Ecclesiæ tuæ fecisti Domine panem Altaris tui; propterea epulantes in mensa tua non timemus, quid faciant nobis dæmones.

De cœlo ad terram misit te Deus Altissimus;

vt

vt panis noster fieres ad refocillandas animas nostras.

Panem in carnem tuam , & vinum in sanguinem tuum conuertisti Domine in nouissimam cœna tua; vt nobiscum maneres usque ad nouissimum diem sæculi.

Pane cœli saturamur in mensa tua Domine; ut victores fiamus in cunctis certaminibus nostris . Gloria Patri, &c.

C A N T I C U M III. 113.

QVis vnquā enarrabit delectationes quam maximas dignè manducantium carnem tuam Domine? immensæ etenim sunt, & ineffabiles.

Beati namque viuent inter Angelos in regno tuo ; teque ad dexteram Patris sedentem in æternum videbunt exultantes.

Delicijs cœlestibus replentur mentes epulatum in mensa tua Domine ; propterea nihil appetunt, nisi teipsum viuentes in terra .

Saluos facis Domine fideles tuos gustantes cibum dulcissimi conuiuij tui ; quoniam dignè accedunt ad mensam tuam .

Nomen Altissimæ Maiestatis tuæ collaudamus Domine ; quoniam sacram cœnam tuam parasti nobis fidelibus tuis . Gloria Patri , & Filio, & Spiritui sancto . &c.

C A N -

C A N T I C V M IV. 114.

CArnem tuam Domine manducantes colaudamus nomen tuum ; quoniam pretio sanguinis tui redempti sumus.

Ad mensam tuam currimus Domine in tribulationibus nostris ; quoniam epulantes in ea in protectione tua manent in æternum.

Delicias mundi contemnimus gustantes panem mensæ tuæ ; delicias autem cœli ex toto corde exquirimus semper.

Tu verò Domine benedictionem tuam descendere facis super epulantes in mensa tua ; quoniam ut pupillam oculi tui ab æterno dilexisti eos.

Propterea ascendorū in cœlum tecum se debunt in mensa deliciarum tuarum ; & cum Angelis beati glorificabunt te in sæculum sæculi. Gloria Patri, &c.

C A N T I C V M V. 115.

EPulantes in mensa tua Domine semper parati sunt ad laudandum sanctum nomen tuum ; quoniam gratia tua nunquam vacua fuit in eis.

Ante Solis ortum surgunt de lectulis suis fideles tui ; ad manducandam carnem tuam

pro-

probant conscientias suas.

Super celos exaltaris Domine ab electis tuis;
quoniam manducantes carnem tuam te verum
Deum, & hominem confitentur.

Sed tu Domine in paradisum deducis dignè
epulantes in mensa tua; & cum Angelis ponis
sedes eorum.

In fortitudine cibi sacri conuiuij tui victo-
riam reportant ab inimicis suis electi tui; &
cum triumpho ingrediuntur regnum tuum.
Gloria Patri, &c.

H Y M N S.

SVæ mensæ Christus panem
Verè cibum tradidit
Manducandum verus Deus,
Verus homo etiam
Consustantialis Patri,
Beatæque Virgini.
Hunc eundem panem dabit
Christus in perpetuum
Cibum nobis in cœlesti
Mensa manducantibus,
Cumque sanctis Angelorum
Choris exultantibus.
Celsæ Patris Maiestati,
Coæqualis Filij,
Ex utroque Procedentis

Sit

*Sit æterna gloria,
Qui cœlorum extat unus,
Atque trinus Dominus. Amen.*

V. Panem de cœlo præstisti nobis. Alleluia.

R. Omne delectamentū in se habentē. Alleluia.
Oremus.

O Mnipotens æterne Deus, qui sic dilexi-
sti electos tuos, vt ipsi vnigeniti tui
Redemptoris nostri carnem ad manducan-
dum, eiusque sanguinem ad bibendum dares;
fac ita nos dignè in sacra eius mensa epulari, vt
cum Angelis in cœlesti mensa in æternum satia-
xi mereamur. Per eundem Christum Domi-
num nostrum. Amen.

C A N T I C U M I. 116.

D Omine secundum misericordiam tuam
fac nobiscum manducantibus carnem
tuam; quoniam te filium Dei, & hominis con-
fitemur in manducazione illius.

Protege nos epulantes in cœna tua Domi-
ne; & de manu dæmonis eripe nos sodales men-
sæ tuæ.

Videant nos sedentes in mensa tua dæmo-
nes, & contremiscant; nec audeant tentare nos
carne tua refectos.

In protectione tua viuamus Domine pane
tuo vescentes; tunc enim non timebitus Dia-
bolum, nec Angelos eius.

Manum

SANCTISS. SACRAMENTI. 109

Manum tuam extende ad liberandum nos cibum mensæ tuæ gustantes; & in fortitudine eius duc nos ad regnum cœlorum. Gloria Patri, &c.

C A N T I C U M II. 117.

Ad dexteram tuam manebunt in iudicio dignè epulantes in sacra mensa tua Domine; & æternam benedictionem accipient de ore sancto tuo.

Reges, & principes quām magnos constitues sodales mensæ tuæ; in regno enim tuo tecum regnabunt in æternum.

Inter Angelos principes regni tui præparasti sedes dignè sedetum in mensa tua; quoniam ab æterno electos in tempore vocasti, & iustificasti eos.

Iurasti Domine, nec te pœnituit electos tuos fecisse manducantes carnem tuam; Deus enim immutabilis es, & semper eadem permanet voluntas tua.

Propterea in domo tua magnificabis eos; & cum Angelis super omnes coelos exaltabis eos. Gloria Patri, &c.

C A N T I C U M III. 118.

Memoriam passionis tuæ recolimus manducantes carnem tuam; & ex toto corde col-

collaudamus te Redemptorem nostrum.

Escam mensæ cœlestis dedisti nobis fidelibus
tuis Domine; ut in virtute eius fortificati, viri-
liter seruiamus Majestati tuæ.

Æternam hæreditatem tuam præparasti di-
gnè accendentibus ad sacrum convivium tuum;
propterea vitam æternam promittis dignè epi-
lantibus in eo.

Pretio sanguinis tui redemisti vescentes pa-
ne tuo; & saluos facis eos in virtute carnis
tuæ.

Signum prædestinationis æternæ præcla-
rum est digna manducatio carnis tuæ; talis enim
manducatio iustificat, & beatificat electos tuos.
Gloria Patri, &c.

CANTICVM IV. 119.

BEATI omnes, qui cum timore accedunt ad
mensam tuam Domine; & illic recreati cu-
stodiunt mandata tua.

Gloriam, & diuitias domus tuæ habebunt
epulantes tecum in cœna tua; quoniam tāquam
dignos sodales tuos beatos facies eos.

In æterna memoria tua erunt dignè come-
dentes panem tuum; quoniam ab æterno in li-
bro vitae scripsisti eos.

Certam fecisti expectationem salutis epulan-
tium dignè in cœna tua; auditionem maledictio-
nis

SANCTISS. SACRAMENTI. III
nis tuæ non timebunt in iudicio.

Reprobi autem audientes benedictionem dignè manducantium panem mensæ tuæ, cruciabuntur; & tabescentes pœnas æternas sustinebunt in inferno. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto. &c.

C A N T I C U M V. 120.

TAnquam pueri humiles sicut comedentes in mensa tua Domine; & exultantes collaudant sanctum nomen tuum.

Dulcis resonat laudatio nominis tui in ore, epulantium in mensa tua; nec unquam cessant laudare illud post manductionem carnis tuæ.

De puluere, & stercore erigis dignè sedentes tecum in cœna tua; & inter beatos ponis sortes eorum.

Tu Domine in cœlis habitans propitius respicis vescentes pane tuo; & tanquam dignos sodales tuos diligis eos.

In domo tua exultabunt edentes panem Ecclesiæ dilectæ sponsæ tuæ; teque cum Patre, & Spiritu sancto collaudabunt in æternum.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto. Sicut erat in principio, & nunc, & semper, & in secula seculorum. Amen.

H Y M-

H Y M N V S.

Torquentur ecce dæmones,
Dum mensa tuæ epulas
Nos cernunt sacras edere,
Non minus, quam in baratro.

Hinc multa parant retia
Illa queandi studio
Nostras purgatas animas,
Dum Christi carnem edimus.
Dum mensam hanc ingredimur,
Paneque eius vescimur,
Omnes exultant Angeli,
Nosque semper custodiunt.

Nostro æterna gloria
Trino Deo, atque uno,
Nos qui fecit ex nihilo,
Suumque dedit filium. Amen.

P. Panem de cœlo præstisti nobis. Alleluia.

R. Omne delectamentū in se habentē. Alleluia.

Oremus.

Deus, qui, ut fideles tuos assiduè ab hostibus
inuasos fortes redderes, carnem tuā illis
manducandā dedisti; concede propitius, ita nos
dignè illā manducare, ut in omnibus certami-
nibus nostris victoriam ab illis semper reporta-
re mereamur. Qui viuis, & regnas Deus in se-
cula saeculorum. Amen.

CAN-

C A N T I C V M I. 121.

IN manduca^tione carnis tuæ Domine sancti fiunt fideles tui; & fortis aduersus Diabolum, & Angelos eius.

Corda manducantium carnem tuam percutiens; lacrymas quasi torrentes emanare facis ex oculis eorum.

Aures epulantium in sacra mensa tua atten-
tas facis ad audiendum verbum tuum; & tan-
quam ignitum accendit mentes eorum.

Ora vescientium pane tuo aperis Domine; ut nomen sanctum tuum collaudent in æternum.

Terram viuentium præparasti dignè seden-
tibus in sacra coena tua; ut tecum beati viuant in
sæculum sæculi. Gloria Patri, &c.

C A N T I C V M II. 122.

TAnquam pupillam oculorum tuorum di-
ligis epulantes in conuiuio mensæ tuæ;
propterea preces eorum semper exaudis.

Fortitudine, & gratia reples manducantes
panem tuum; & in tribulationibus eorum con-
fortas eos.

In misericordia quām magna saluas facis ani-
mas eorum; & diuinitatis tuæ participes facis

H eos

eos in cœlo, & in terra.

Tanquam paruulos modò genitos nutris comedentes panem tuum; lacte etenim cœlesti cibas illos in ea.

In viam salutis dirigis pedes edētium panem tuum; vt iusti appareant in conspectu tuo, Angelorum, & hominum. Gloria Patri, &c.

C A N T I C U M . III. 123.

Firmiter credimus Dominae te totum, & integrum manere in pane mensæ tuæ; ideo securi, & exultantes ad illam accedimus.

Propterea facie ad faciem videbimus te ad dexteram Dei sedentem in throno gloriæ tuæ; & cum Angelis tuis collaudabimus immensam Maiestatem tuam.

Nunc autem carnem tuam manducamus, & sanguinem tuum bibimus; vt tecum illum bibamus in regno tuo.

Pretiosa erit in conspectu tuo mors epulantium in conuiuio mensæ tuæ; & cum Angelis introibunt paradisum voluptatis æternæ.

Vincula peccatorum dignè manducantium carnem tuam dirupisti Domine; quoniam tanquam electi scripti sunt in libro viuentium, Gloria Patri, &c.

C A N T I C V M IV. 124.

PAnem de mensa tua sumentes te Deum nostrum, & Redemptorem confitemur; & apud omnes gentes collaudantes prædicamus te.

Misericordiam tuam quām magnam confirmasti super nos epulantes in mensa tua; & in virtute eius iustificasti nos fideles seruos tuos.

Te misericordem, & benignum collaudamus in manducatione carnis tuæ; quoniam pacem, & quietem inuenimus in ea.

Dum tribulamur ad mensam tuam lætantes accedimus; propterea consolati reuertimur ad domos nostras.

In te solo Deo, & homine confidentes panem altaris tui manducamus; & pretiosum sanguinem tuum bibimus in lætitia, & exultatione. Gloria Patri, &c.

C A N T I C V M V. 125.

VOx lætitiae, & exultationis in ore epulantium in conuiuio mensæ tuæ; voluntas autem eorum ad faciendam legem tuam.

Tu autem Domine in cœlo, & in terra exaltas dignè sumentes panem de mensa tua; nec vñquam discedis ab illis cunctis diebus suis.

H 2 Portas

Portas paradisi aperis dignè vescientibus pane tuo; & diademata regni tui ponis super capita eorum.

Lapides reprobati æstimantur sæpè manducantes carnem tuam; tu autem tanquam lapides expolitos in cœlestibus ædificijs coaptas eos.

Etenim epulantes in mensa tua regnum cœlorum possidebunt in æternum; quoniam tanquam reges inter Angelos collocabis eos in domo tua. Gloria Patri, &c.

H Y M N V S.

Huius sacræ mensæ panis
Sanctus sanctos efficit
Ipsum dignè manducantes,
Angelorum socios,
Sempiternæ deitatis
Christi iam participes.

Ad hunc mundi currant panem
Reges, duces, principes,
Dives, pauper, liber, seruus,
Fidus Dei populus,
Cunctis illum præparauit
Christus dignè edentibus.

Iste cœli portas pandit,
Placat mundi Iudicem,
Cunctorumque peccatorum
Præstat nobis veniam,

Instos

*Iustos facit sceleratos
Sua flentes crimina.
Patrem semper generantem,
Natum semper genitum,
Ab utroque semper ductum
Adoremus Spiritum,
Sempiternas illis laudes
Persoluamus debitas. Amen.*

¶. Panem de cœlo præstisti nobis. Alleluia.

R. Omne delectamentū in se habentē. Alleluia.

Oremus.

Deus, qui sacræ mensæ tuæ panem cunctis fidelibus tuis manducandum dedisti; fac nos ita mundos, & sanctos illum manducare, ut tecum in cœlesti mensa sedere mereamur in perpetuum. Qui viuis, & regnas Deus in sæcula sæculorum. Amen.

C A N T I C V M I. 126.

Epulantes in mensa tua iustificas Domine, & gratos reddis Maiestati tuæ; ut digni accedant semper ad cœnam tuam.

Volutatem tuam manifestam facis comedentibus panem tuum; & auxilium tuum de cœlis mittis eis ad faciendam illam.

Ex toto corde desiderant obedire mandatis tuis manducantes carnem tuam; propterea tu Dominus propitius respicis eos.

H 3 In

In tribulationibus suis valde exultant manducantes in sacra cœna tua; propterea tu Dominus fortis facis eos in illis.

Benedictionem tuam de cœlo effundis super epulantes in conuiuio mensæ tuæ; & in dies sanctificas eos tanquam electos tuos. Gloria Patri, & Filio, &c.

C A N T I C U M II. 127.

BEATI omnes, qui se immaculatos custodiunt in manducaⁿtione carnis tuæ Domine; quoniam securi intrabunt in regnum tuum.

Ex toto corde quærunt placere Altissimæ Maiestati tuæ epulantes in mensa tua; propterea tu non repellis eos à facie tua.

In cordibus suis scriptam habent legē tuam vescentes pane tuo; nec vñquam faciunt contra voluntatem tuam.

In obseruandis præceptis tuis magis quam in thesauris multis delectantur; qui panem mensæ tuæ manducant.

Sermones tuos nō obliuiscuntur, qui panem sumunt de mensa tua; quoniam obseruantes præcepta tua dignè accedunt ad cœnam tuam. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto. Sicut erat in principio, & nunc, & semper, & in sœcula sœculorum. Amen.

CANTICVM III. 128.

Viam mandatorum, & consiliorum tuorum doces epulantes in conuiuio tuo; quoniam ad faciendam voluntatem tuam elegisti eos.

Intellectum, & iudicium rectum das omnibus dignè manducantibus panem tuum; ne quando declinent à mandatis tuis.

Ad facienda precepta tua inclinas corda epulantium in sacra cœna tua; & ab omni vanitate auertis oculos eorum.

In timore tuo ambulare facis vescentes pane tuo; ne vñquam indignè accedant ad sanctum altare tuum.

Misericordiam tuam quām magnam ostendis fodalibus mensæ tuæ; & in æquitate tua iustificas eos. Gloria Patri, &c.

CANTICVM IV. 129.

Lvciferum, & Angelos eius non timent, qui dignè edunt panem tuum; quoniam in te Domine ponunt omnimodam spem suam.

Auxilium tuum non aufers à manducantibus cibum mensæ tuæ; quoniam tanquam cohæredes tuos diligis eos.

Lætantes ambulant, qui gustant dulcedinem

H 4 panis

panis tui; ideo exultantes custodiunt legem tuam.

In conspectu regum, & populorum prædicat virtutem panis tui; nec timent minas eorum, qui manducant illam.

Manus suas ad te eleuant sedentes in mensa tua; ut fortes facias eos in tribulationibus suis. Gloria Patri, &c.

C A N T I C U M V. 130.

MEmor es Domine dignè epulantium in mensa tua; quoniam ab æterno elegisti eos in hæreditatem tuam.

In cœlo posuisti portionem manducantium in conuiuio tuo; quoniam pignus vitæ æternæ est manducatio carnis tuæ.

Ab æterno misericordiam fecisti cum epulantibus in sacra cœna tua; & propitius respiciens respicis eos.

Propter bonitatem, & clementiam tuam dignos fecisti sedentes in mensa tua; propterea immaculatos custodis eos inter peccatores viuentes.

Prudentes, & simplices fecisti sodales mensæ tuæ; ut tanquam serpentes, & columbæ viuant apud gentes. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto. &c.

H Y M N V S.

SVum Altissimus mittit auxilium
Hunc panem cœlicum dignè sumentibus
A' cunctis hostiis periclis eripit,
Nunquam illos destituens.

Quin immò diligit eos ut filios;
Suam nam faciunt legem sanctissimam
Nullius appetunt viri diuitias,
Sed lati viuunt pauperes.

Sæcli delicias quām multas respuunt
Christi pauperiem sequentes cœlicam,
Mentesque subleuant ad cœlum supplices
Fuentes Dei gratia.

Quae Christus præmia dabit fidelibus
Suum edentibus dignè coniuium
Scribæ velociter scribentis calamus
Nullus potest exprimere.

Cœlorum Domino, & exercituum
Sit iubilatio, ac benedictio,
Simul & unica, trinaque gloria
Per cuncta semper secula. Amen.

V. Panem de coelo præstisti nobis. Alleluia.

R. Omne delectamentū in se habentē. Alleluia.
Oremus.

Deus, qui sacratissimam carnem tuam no-
bis sub panis accidentibus manducan-
dam reliquisti; concede propitius ita nos dignè
illam

illam in via manducare, ut eandem reuelata facie gloriosam videre mereamur in cœlo. Qui vivis, & regnas Deus in sæcula sæculorum. Amen.

C A N T I C V M I. 131.

IVstificationes tuas non obliuiscuntur dignè comedentes panem sanctum tuum; etenim die, ac nocte voluntas eorum manet in obseruandis præceptis tuis.

In æternum Domine beatificabis epulantes in mensa tua; quoniam ante omnia sæcula elegisti eos.

Inter Angelos computantur omnes dignè comedentes panem tuum; & cum illis sedebunt in cœlesti mensa tua.

Mercedem copiosam expectat de manu tua; qui dignè manducant, & bibunt in sacra mensa tua.

Diuitias, & gemmas pretiosas, vt stercora reputant sodales mensæ tuæ; quoniam tanquam fumus, & vapor euanescent in conspectu tuo. Gloria Patri, &c.

C A N T I C V M II. 132.

PRudentiores, quam senes, & mundi sapientes facis dignè manducantes panem tuum
Do-

Domine; quoniam tu es magister eorum.

Propterea ad faciendam disciplinam doctrinæ tuæ dirigunt mentes suas; sapientiam autem mundi tanquam vanam contemnunt.

Dulciora, quam mel, & fauus sunt præcepta tua manducantibus carnem tuam; ideo ab omni malo prohibent corda sua.

Lucerna inextinguibilis est verbum tuum—
epulantibus in cœna tua; in viam enim salutis æternæ deducit eos

Propterea dæmones in vanum abscondunt laqueos suos aduersus comedentes panem mensæ tuæ; quin immò confusi, & dolentes fugiunt faciem eorum. Glora Patri, & Filio, & Spiritui sancto. &c.

CANTICVM III. 133.

Consilium, & congregationem impiorum
aufugiunt sedentes in mensa tua Domine;
veruntamen pro salute eorum exorant Maiestatem tuam.

Scelera enim peccatorum odio habent, qui
manducant carnem tuam, non autem natu-
ram; quoniam tu creasti eos, & redemisti eos.

Tanquam fideles seruos tuos custodis dignè
epulantes in mensa tua; nec capillum cadere
facis de capite eorum.

Tempore enim temptationis de cœlo respicis
super

super manducantes carnem tuam ; ne vnquam faciant contra legem tuam .

In viam salutis dirigis pedes manducantium , & bibentium in sacro conuiuio tuo ; vt Angelorum societate dignos facias eos. Gloria Patri , & Filio , & Spiritui sancto . &c.

C A N T I C V M IV. 134.

Mirabilis es Domine cum epulantibus in mensa tua : opera enim mirabilia facis per manus eorum .

Ad vitam namque mortuos reuocant in virtute carnis tuæ ; cœcos illuminant , & dæmones effugant .

Spiritus sanctus à Patre , & à te procedens de cœlo descendit super comedentes escam mensæ tuæ ; ad consolandum eos cum Patre mittis illum semper .

Secundum mandatum tuum dirigis gressus sodalium tuorum ; ideo nunquam offendunt te , neque proximum suum .

Diuinitatis tuæ radijs illuminas mentes comedentium cibum mensæ tuæ ; & quæ necessaria sunt ad salutem doces eos semper . Gloria Patri , & Filio , & Spiritui sancto . Sicut erat in principio , & nunc , & semper , & in sæcula sæculorum . Amen .

CAN-

IVstos facis Domine dignè accedentes ad mensam tuam; & gratos facis eos in conspectu Altissimi.

Tabescit Diabolus cum Angelis suis videns fideles tuos in mensa tua; quoniam coronas eorum accipient in regno tuo.

Propè es tu Domine vescientibus pane mensæ tuæ; quoniam in iustitia tua ambulant in conspectu tuo.

Hymnos, & psalmos cantant nomini tuo accedentes ad cœnam tuam; & virtutem panis tui enarrant exultantes.

Digna manducatio carnis tuæ adiuuabit electos tuos viuētes, & in hora mortis, ut triūphant es ascendant in regnū tuum. Gloria Patri, &c.

H Y M N V S.

SAcra mensæ Christi cibus
Iustos facit impios,
Cœli portas clausas pandit
Cunctis peccatoribus,
Afflictosque consolatur,
Ac depresso subleuat.
Nullos vñquam dereliquit
Natus Dei Altissimi

Carnem

*Carnem suam manducantes
Dignè tamen homines,
Suum magis sed diuinum
Misit his auxilium.
Omne decus, omnis honor,
Laus sit, & gloria
Patri soli generanti,
Eius Vnigenito,
Ab utroque Procedenti
Sit per cuncta sacula. Amen.*

V. Panem de cœlo præstisti nobis. Alleluia.

R. Omne delectamentū in se habentē. Alleluia.

Oremus.

D EUS, qui carnem tuam dignè manducantes, in via iustificas, in patria verò beatificas; concede propitius, ita nos fideles tuos illam sanctè tractare, ut & iustificari in terris, & in æternum beatificari mereamur in cœlis. Qui viuis, & regnas in sacula sæculorum. Amen.

C A N T I C U M I. 136.

D Issloui cupiunt manducantes carnem tuam Domine; ut tecum sedeant in mensa cœlorum.

Oculos suos in cœlum eleuant epulantes in conuiuio mensæ tuæ; illinc enim auxilium tuum expectant in tribulationibus suis.

Læ-

Lætantur, & exultant manducantes panem tuum dum transitum suum agnoscunt; quoniam delicias domus tuæ exoptant valde.

Torrentem tribulationum gaudentes sustinent dignè sumentes panem ex altari tuo; hæc est enim via ascendendi regnum cœlorum.

In te Domine confidunt sodales mensæ tuæ; propterea dæmones manus suas nō extendunt super eos. Gloria Patri, &c.

C A N T I C U M II. 137.

GAudio quām magno replentur corda manducantium carnem tuam; linguæ autem eorum incessanter collaudant diuinam Maiestatem tuam.

Nomen sanctum tuum magnificant, & benedicunt illud epulantes in sacra mensa tua; tu vero Domine iustificando consolaris eos.

In gaudium conuertis Domine luctū vescen-
tium pane tuo; ideo gaudētes introibunt ianuas regni tui.

Omnem lacrymam absterges ab oculis comedientium panem mensæ tuæ; quoniam neque dolor, neque luctus erit in domo tua.

In gaudio, & exultatione erit transitus epulantium in conuiuio mensæ tuæ; merita enim quām multa secum portabūt intrantes regnum cœlorum. Gloria Patri, &c.

C A N T I C V M . III. 138.

CVm dederis somnum manducantibus car-
nem tuam Domine ; tunc cohæredes re-
gni tui constitues eos.

Sic munerantur dignè epulantes in mensa
tua ; etenim æternas diuitias domus tuæ dabis
eis.

Manducantes panem mensæ tuæ vindicabis
de inimicis suis ; quoniam sæpè iniustè persecuti
sunt eos.

Propitiatio quā magna es tu Domine ve-
fcentibus pane tuo ; ab utero enim matrum sua-
rum usque ad mortem custodis eos.

Copiosam misericordiam , & mercedem inue-
niunt apud te sedentes in mensa tua ; quoniam
pretio sanguinis tui redemisti eos . Gloria
Patri , &c.

C A N T I C V M . IV. 139.

OCulis suis , & palpebris suis somnum non
dant epulantes in cœna sacra tua ; quoad-
usque debitum seruitutis suę soluerint Maiesta-
ti tuæ .

Propterea valde mane templum tuum ingre-
diuntur ; post autem pœnitentiam deuotè acce-
dunt ad mensam tuam .

Re-

Regnum tuum te daturum promisisti dignè ve-
scentibus pane cœnæ tuæ; nec ullus frustratus
es aliquando.

In æternam habitationem tuam elegisti di-
gne sedentes in sacra cœna tua; propterea cum
ipsis habitans habitabis in æternum.

Usque ad thronum gloriæ tuæ exaltabis so-
dales mensæ tuæ; ut videntes essentiam tuam
tecum beati viuant in sæculum sæculi. Gloria
Patri, &c.

C A N T I C V M V. 140.

Quàm bonum, & quàm iucundum est sede-
re tecum in cœna tua Domine; similes
enim fiunt tibi in ea electi tui.

Propterea tanquam fideles serui tui benedi-
cunt sancto nomini tuo; & assiduè manent in
domo tua ad laudandum nomen Maiestatis
tuæ.

Ad te manus tuas extollunt epulantes in sa-
cra cœna tua; propterea viatores fiunt in om-
nibus certaminibus suis.

Sed tu Domine de excelso throno Maiesta-
tis tuæ benedicis manducatibus carnem tuam;
nec unquam auertis ab illis oculos tuos.

Comedentes carnem tuam benignè respicis
semper; ut saluas facias animas eorum conspicis
eos. Gloria Patri, &c.

H Y M N V S.

G Randis exercitus manet Angelicus
 Cum māducantibus panem Dominicum,
 Dulcesq[ue] concinunt hymnus, & cantica
 Christo cōlorum Principi.

Inuitant Cherubim, vocant & Seraphim,
 Quò simul tribuant cultum iam latrīum
 Quām magnum corpori Christi sanctissimo,
 Eiusq[ue] sacro sanguini.

Patris, & Filiij, sanctiique Spiritus
 Communem recolant illic effentiam
 Solam, & unicam, laudesq[ue] debitas
 Deo soluant & perpetuas.

Nos quoque gloriam cantemus Domino
 Aeternam gaudio repleti maximo,
 Qui nobis tribuit carnem, & sanguinem
 Gustandum ut fidelibus. Amen.

V. Panem de cōelo præstisti nobis. Alleluia.
R. Omne delectamentū in se habentē. Alleluia.

Oremus.

Deus, cuius carnem, & sanguinem omnes
 Angeli, omnesq[ue] cōlorum ciues suppli-
 ces, & lētantes adorant, & colunt; fac nos, quę-
 sumus, ita quoque illam, illumque adorare, &
 colere in terris, vt cum ipsis te videre, te vti,
 teque frui mereamur in cōelis. Qui viuis, & re-
 gnas in sēcula sēculorum. Amen.

CAN-

C A N T I C V M I. 141.

TAnquam boni, & fideles serui tuī collaudant te, qui edunt panem tuum; & gloriam cantant nomini sancto tuo.

Te solum verum Deum agnoscunt, qui vescuntur pane tuo; propterea te solum adorant, & in adiutorium suum inuocant nomen tuum.

In ore epulantium in mensa tua longè resonat laudatio nominis tui; quoniam quam magnam agnoscunt virtutem panis tui.

Quæcunque præcipis Domine faciunt, qui manducant in mensa tua; propterea tu quoque facis voluntatem eorum.

Perpetuas laudes decantant Altissimæ Majestati tuæ dignè manducantes carnem tuam; quoniam quām bonum, & quām benignum agnoscunt te in manducazione carnis tuæ.

Gloria Patri, &c.

C A N T I C V M II. 142.

EX toto cōrde magnificant nomen tuum vescentes pane tuo; tu verò Domine benignè audis laudes eorum.

Cum Angelis tuis glorificant te sedentes in mensa sancta tua: & tanquam verum Deum, & hominem adorant te.

Gratiam super gratiam multiplicas super dignè comedentes panem tuum; & in quacunque hora exorant te, exaudis eos.

Gloriam quām magnam tribuunt Maiestati tuæ dignè sumentes panem de mensa tua; quoniam te filium Dei, & hominis confitentur in mandatione carnis tuæ.

Propterea æternam retributionem præparasti eis in coelis; & beati collaudabunt te cum omnibus electis tuis. Gloria Patri, &c.

C A N T I C V M - III. 143.

A Nte omnia sæcula elegisti dignè epulantes in sacra cœna tua; & tanquam aurum in fornace probas illos antequam accedant ad illam.

Vias eorum præuidisti Domine, & rectas cognouisti eas; propterea immaculati ambulant coram te, & Angelis tuis.

Dexteram tuam extendis super sedentes in mensa tua; & auxilium tuum nunquam longè facis ab eis.

Die, ac nocte confortas eos, qui panem sumunt ex altari tuo; vt iusti viuant in conspectu tuo semper.

Tu sapientia Patris Altissimi doces omnes, qui manducant carnem tuā; vt nunquam transgrediantur præcepta legis tuæ. Gloria, &c.

CAN-

C A N T I C V M IV. 144.

CVM vescenibus pane tuo semper ambulas
Domine; nec vñquam solos relinquis eos.
Quocunque pergunt manducantes carnem
tuam; tu illuc tutos deducis illos.

Lumen tuum ostendis manducantibus panē
mensæ tuæ; nec aliquando ambulare facis eos
in tenebris.

Ex vtero matrum suarum lux fuisti vescen-
tium pane tuo ; à peccatis enim multis præter-
uasti eos.

Quoniam tanquam pupillam oculorum tuo-
rum custodis epulantes in conuiuio mensæ tuę;
quandoque autem peccantes mox ad pœniten-
tiā vocas eos . Gloria Patri, &c.

C A N T I C V M V. 145.

AB hominibus malis, & iniquis eripis Do-
mine omnes, qui panem tuum manducāt,
& sanguinem tuum bibunt pretiosum .

Linguas quasi serpentes acuunt peccatores
aduersus sodales mensæ tuæ; & venenum aspi-
dum habent aduersus eos in labijs suis .

Etenim bonitatem manducantium carnem
tuam abscondunt, & cruciantur valde videntes
eos sedentes in cœna tua.

Sed tu Domine tāquam protector sodalium
tuorum defendis eos; vt cum gaudio sustineant
calumnias eorum.

Veruntamen epulantes in mensa tua collau-
dantes benedicunt Maiestati tuæ; vt beati vi-
uant videntes faciem tuam in regno tuo. Glo-
ria Patri, & Filio, & Spiritui sancto. Sicut erat
in principio, &c.

H Y M N V S.

Dulcis cibus, dulcis potus
Christi in mensa sumitur
Mentes purgans, ac illustrans,
Gratas Deo faciens,
Paradisi portas rumpit
Dignè iam gustantibus.
Multos facit panis iste
Veros Christi martyres
Multas quoque eius sponsas
Hoc in sacerdoce inclytas,
Sociasque Angelorum,
Supernorum ciuium.
Patri soli generanti,
Nato soli genito,
Soli quoque Procedenti
Sit quam magna gloria,
Omnis honor, ac aeternus
Per immensa saecula. Amen.

W. Pa.

¶. Panem de cœlo præstisti nobis. Alleluia.
R. Omne delectamentū in se habentē. Alleluia.

Oremus.

Deus, qui per tam venerabilis Sacramenti virtutem Altissimæ Maiestati tuæ filios in dies parturis, fac nos fideles tuos ita purgatis conscientijs ad illud accedere, ut filij tui, & co-hæredes Christi fieri mereamur in regno tuo. Qui tecum viuit, & regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

C A N T I C U M . I. 146.

Ad te clamant epulantes in mensa tua in tribulationibus suis; quoniam auxilium, & propitiationem perpetuam inueniunt apud clementiam tuam.

Oratio dignè manducantium carnem tuam sicut fumus aromatum ascendit in conspectu tuo; eleuationem manuum suarum tanquam sacrificium acceptat Maiestas tua.

Custodiam perpetuam ponis labijs vescientium pane tuo, ut benedicant semper nomini sancto tuo.

A láqueo Diaboli, & Angelorum eius liberas sumentes cibum de mensa tua; & saluos facis eos tanquam electos tuos.

Propterea in retibus eorum nunquam cadunt, qui manducant carnem tuam, sed transiuentes quasi telam aranearum rumpunt illam. Gloria Patri, &c.

C A N T I C U M II. 147.

Portionem suam in cœlo ponūt manducantes cibum conuiuij tui; in illo enim sperant inuenire te vitam æternam.

Manus suas ad te eleuant fideles tui post mādicationem carnis tuæ; tu verò Domine benignè respicis preces eorum.

In viam rectam deducis comedentes in sacra mensa tua; & viuificas eos in omnibus operibus suis.

Manus epulantium in mensa tua fortes facis ad pugnandum aduersus dæmones; & victores facis eos in virtute carnis tuæ.

Ad laudandam Maiestatem tuam deduces refectos in cœna tua post obitum suum; & cum Angelis mercedem æternam, & copiosam retribues eis. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto, &c.

C A N T I C U M III. 148.

TE Deum, & Regem suum confitentur omnes epulantes in sacra mensa tua; per singulos

gulos enim dies collaudantes benedicunt nomini tuo.

A generatione in generationem magnificat te sodales mensae tuae; & potentiam tuam enarrant apud omnes gentes.

Altitudinem throni gloriae tuae exaltant, qui panem mensae tuae manducant; quoniam usque ad tertium cœlum eleuant mentes suas post manducationem carnis tuae.

Abundantiam libertatis mensae tuae eructat, qui manducant panem illius; & exultantes exceptant sedere tecum in cœlesti mensa tua.

Quam suauem, & iucundum ostendis te Domine vescentibus pane sacri conuiuij tui, & gloriam regni tui promittis eis. Gloria Patri, & Filio, &c.

C A N T I C U M IV. 149.

IN te Domine, qui fecisti cœlum, & terram sperant manducantes carnem tuam pretiosam; sciunt enim vanum esse sperare in homine. Dulcis resonat auribus tuis laudatio epulantium in cœna tua; quoniam cantica noua concinnunt ad laudandum nomen sanctum tuum.

Te Deum honorificant sedentes in mensa tua ad manducandam carnem tuam; quoniam quam magnam agnoscunt clementiam tuam in ea.

Panem

Panem tuum cœlestem in escam dedisti ele-
ctis tuis ; qui dignè accedunt ad sacrum conui-
uum tuum .

Semper beneplacitum fuit tibi Domine su-
per dignè manducantes carnem tuam ; propte-
rea spem suā posuerunt in te Redemptore suo.
Gloria Patri, &c.

C A N T I C U M V. 150.

E Pulantes in mensa tua Domine, laudabunt
te Deum suum semper; quoniam solis ele-
ctis tuis dedisti carnem tuam ad manducan-
dum .

Dignè manducantes carnem tuam in terris
laudant te; & in cœlis laudabunt te cum Ange-
lis in sæculum sæculi .

Cum sacerdotibus laudat te nunc plebs tua
fidelis panem tuum accipiens de manibus eo-
rum; in cœlis autem cum Angelis tuis beati col-
laudabunt diuinam Maiestatem tuam.

In Ecclesia tua canticum nouum laudantes
cantant tibi epulantes in coena tua ; in cœlesti-
bus autem mansionibus æternas laudes canta-
bunt nomini sancto tuo.

In cymbalis, & choris, in chordis, & organis
dulcisonantibus laudant te Deum, & hominem
edētes carnem tuam ; in cymbalis iubilationis,
& lætitiae æternæ laudabunt te sedentes cum

An-

Angelis, & electis tuis in mensa deliciarum
tuarum. Gloria Patri, &c.

H Y M N V S.

I Stud conuiuium sacrum fidelibus
Præstat innumeras, magnasque gratias
Dignè sumentibus carnem, & sanguinem
Christi preciosissimum.
Ad pœnitentiam deducit impios,
Afflictis maximum solamen tribuit,
Aegrotos integrè reddit incolumes,
Defunctis donat requiem.
Pacem Catholicis præstat Principibus,
A peste liberat, fameque populos,
Pupilles suscipit, omnesque viduas,
Deuotas seruat virgines.
Deum glorificat trinum, & simplicem
Chorus Angelicus cunctos lœtiticat,
Ciuesque cœlicos beatos efficit,
Cœlum totum irradiat.
Deum Altissimum precamur supplices
Dignos ut faciat hoc nos conuiuio,
Eius & fructibus satisquam dulcibus,
Quibus fruuntur Angeli.
Laudes perpetuas, æternam gloriam,
Cultum & latrarium soluamus debitum
Christo, qui sanguinem, carnemque cœlicam
Gustandam nobis ti adidit. Amen.

V.Pa-

145 CANT. SANCTISS. SACRAM.
V. Panem de cœlo præstisti nobis. Alleluia.
R. Omne delectamentū in se habentē. Alleluia.
Oremus.

OMnipotens, & misericors Deus, qui sanctissimum Eucharistiae Sacramentum à Christo Vnigenito tuo pro immensa, & æterna diuinæ Maiestatis tuæ gloria, atque pro fidelium tam viuorum, quam defunctorum salute institutum cultu latrōe venerandum præcepisti; fac propitius, ita nos illud deuotè, ac dignè venerari, ut in cœlum ascendentæ æternæ vite fructus percipere mereamur. Per eūdem Christum Dominum nostrum.

Nono Kalend. Aprilis, Anno salutis millesimo sexcentesimo decimo tertio, hora vigesima sunt incœpta; die autem festo beatæ Mariæ Magdalene hora noctis prima eodem anno expleta.

Altissimo Deo gloria æterna, Deiparæ semper Virginis honor perpetuus, cunctis cœlorum ciuibus per omne æuum laus. Amen.



Salve

141

*Salutatio admodum deuota ad sanctissimam
Deiparam semper Virginem Mariam.*

Ave sanctissima Maria Virgo, Mater Christi pro salute mundi crucifixi, ora eū pro nobis peccatoribus nunc, & in articulo mortis nostræ, ut de manu dæmonis liberati regnum cœlorum ingredi mereamur. Amen.

F I N I S.

Imprimatur.

Petrus Antonius Ghibertus Vicarius Generalis.

M. Cornelius Tiroboscus, Prædicatorum Ordinis Theologus.







